BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
27 — A
28

M

Digitized by Google

MARIALE
ISIDORI
ARCHIEPISCOPI
THESSALONICENSIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

C



Digitized by Google

BIBLIOTECA NA
ROMA

Digitized by Google

ISIDORI
ARCHIEPISCOPI
THESSALONICENSIS
MARIALE.
QVO
EIVSDEM ISIDORI
De MARIA Deipara Virgine
Præclara Monumenta,

Ex Græco M.S. Codice Bibliothecæ Vaticanæ eruta,
Latinè reddita, Notiſque illuſtrata,

Nunc primò legentium oculis exhibentur.
Studio, ac Labore

P. HIPPOLYTI MARRACCII LVCENSIS
E Congregatione Clericorum Regular.
MATRIS DEI.

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

D. CHRISTOPHORVM
SIGNIVM
ARCHIEPISCOPVM THESSALONICENSEM.

ROMAE, Typis Dominici Manelphij. MDCLI.

Superiorum permiſſu.

8
27-A
28
D
Digitized by Google

8-27-A-28

NEMO ACCENDIT LVCERNAM, ET PONIT EAM SVB MODIO. SED SVPER CANDELABRVM; VT LVCEAT OMNIBVS, QVI IN DOMO SVNT.

Matth. c.5.

Digitized by Google

ISIDORO,

Præclaro Theſſalonicenſium Eccleſiæ Antiſtiti,
Ac ſplendido totius Græciæ Luminari:
Qui dum vixit;
inter alias prædicandas animi dotes,
quibus fulſit:
Erga Magnam Dei Matrem
Virginem MARIAM,
incredibili ſtudio,
atque ardentiſsimo amore
deuinctus;
non ſolùm integerrimæ vitæ ſanctiſsimis moribus,
atque omnigenæ virtutis aſsiduis exercitationibus,
ſed voce, calamo, ſcriptiſque laudatiſsimis,
creditos ſuæ curæ Populos
Ad Marianum cultum, pietatemque continuò fouit.
Quinimò
Singularem dicendi facultatem,
qua maximè polluit,
pleno ore in Deiparæ commendationem effundens,
eiuſdem Deiparæ Orator eximius,
ipſiuſque laudationum Lyra mirabilis,
Encomiorum Tuba ſilentij neſcia,
Prædicationum Organum ſemper dulciſſimum,
gloriarumque à Spiritu Sancto pulſatum
ſuauiſſimè reſonans Inſtrumentum
feliciſſimè non minùs, quam veriſſimè
effici promeruit:

Digitized by Google

HAEC,
quæ ab ipſo olim emanarunt,
fæcundiſſimi ingenij Opuſcula,
atque immortalia exquiſitæ Pietatis monumenta,
Marianis laudibus illuſtre Corollarium,
atque additamentum ingens
proculdubio futura,
Nunc ſibi ab illo benignè tradita
bona fide reſtituit;
Ac per ipſius quoque gratiſſimas manus,
(ne repulſam pati poſſint)
Deiparæ Virgini offerenda,
Humilis, ac cernuus offert
Indignus Seruulus
HIPPOLYTVS MARRACCIVS.

ILLV-

Google

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. CHRISTOPHORO SIGNIO,

ARCHIEPISCOPO THESSALONICENSI,

HIPPOLYTVS MARRACCIVS F. P.

SVAVISSIMA illa Dei Hominis Mater, (quam filiali amore, atque eximia in eam religione feciſti tuam) volens Iſidorum ſuum, ſimulque tuum, pientiſſimum Eccleſiæ Theſſalonicenſis Præſulem, magnumque, ac præſtantiſſimum ſuarum laudum Declamatorem; è ſitu, ac tenebris, in quibus diù, hominum ſocordia, iacuit, in Mundi lucem, ſplendoremque deduci; Tuæ illum curæ, ac patrocinio per me commiſit, Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſime Antiſtes. Et quomodo non gaudeas, ac veluti præ lætitia geſtiens, propemodum triumphes,

eum tibi commendatum animaduertens, cuius Tu ſimillimus, & expreſſa Figura, atque Imago es, (Vtrumque enim eadem Pontificalis ornat Inſula; Vtrumque deuotio Virginis reddit ſpectabilem, Vtrumque eximiæ virtutis prærogatiua nobilitat) & ab ea tibi commendatum, cuius fauorem, & gratiam tam cupidè ambis, & anxie quæris: cuius amorem, & pietatem ab ipſa penè infantia, Nutricis cum lacte hauſtam, quotidianis deditiſsimi affectus ſignificationibus, tàm ſollicitè excolis: in cuius vniuerſum honorem, ac reuerentiam, ignei amoris faces cordi tuo ſentis admotas, atq; acutiſsimos indeſinentèr zeli ſecundũ ſcientiã ſtimulos experiris? Licèt enim (ſingularis modeſtiæ tuæ, quæ laudari non ſuſtinet, pace, & tolerantia dictum ſit) licèt enim, inquam, eas omnes adamuſsim virtutes exprimas, quæ perfectum, & numeris omnibus abſolutum

effor-

efformare, imò & ornare Antiſtitē poſſunt: attamen, vt propalam, & clare profitear, cum Mariana pietas in Te pre alijs quodammodò eluceat, ac velut de primatu contendat, præ cęteris etiam illa rapit animum, calamumque meū. Illam à nobiliſsima Patria Tua Bononia (quæ liberrimo Auguſtiſsimæ Dei Matris famulatui penitùs conſecrata, de tantæ Matris cultu, ac protectione sūmoperè gloriatur) necnon à Maioribus Tuis, proſapia ac genere inclytis (qui Deiparæ cultui ſic dediti, addictiq; fuerunt, vt in amore, affectuq; erga Deiparam, paucis, imò nullis, ſuæ Patriæ Ciuibus conceſſerint) ab ipſo ætatis flore, in Te, tanquam in ſpeculo excepiſti; exceptamq; ſingularibus prorsùs ſtudijs frequentiſsimè, nec dicam aſsiduis, deuotiſsimi obſequij ſignificationibus, auctiorem in dies, clarioremq; reddere non deſtitiſti. Et quid in præclaris Tuæ Gentis Inſignibus ſignificat, portēditq;

Ma-

Manus illa ſuper Montem erecta, niſi Te in cultu Deiparæ Virginis(quæ Magno atteſtante Gregorio, Mons eſt in vertice Montium) per quotidiana deuotiſsimę pietatis exercitia, aſsiduum, atquè indefatigabilem operarium eſſe; cum & operationis laboriſque haud obſcurum ſymbolum Manus ſint? Sed quid laboris mentionem facio; cum, licèt in Virginei Montis culturam perpetuo cordis motu, iugique mentis agitatione, tanquam manu, incumbas; recreeris potius, quã fatigeris? Qui enim amat, non laborat; & ſi laborat, labor ille amatur, inquit Eccleſię Doctorum Phęnix Auguſtinus. Quod enim alij, qui non amant, appellare poſſunt laborem; Tu, qui ex munere Tibi cęlitus conceſſo, iàm amare didiciſti; quietem, & naturam, imò & voluptatem tuã potes iure meritò nuncupare. *Sicut enim* perenni, atq; indèfeſſo motu abſque fatigatione vlla rotatur cœlum: ita Tu

con-

Digitized by Google

continuatis, & in ſe quodam orbe recurrentibus pietatis ergà Dei Matrem exercitijs, etiã per ſe, primo aſpectu, laborioſis, dulciter, iucũdeq; moueris. Beatũ Te dicãt alij, quia SS. D.N. Innocentius X. ingenio pręſtantiſsimus, iudicio acerrimus, rerumq; experimentis exercitatiſsimus, ingentem ſpiritus Tui capacitatem, mentis pondus, mirabilem in negotijs pertractandis prudentiam; necnon exploratam, & cognitam ſibi fidem contemplatus, ſine repentina aliqua fauoris aura, Te ſuper Familiam ſuam Principem conſtituit; eumq; eſſe voluit, cui tota Pontificię Domus moles inniteretur; vt in Tua ſolicitudine ille tranquillior viuere poſſet: Ego enim Te ob hoc præſertim Beatum prędicauero, quia tenerrimo prorsùs affectu, intimiſque penitùs medullis Sacroſanctã illam Virginem amas, quę (Iſidoro tuo teſte) conſtituta eſt Diſpenſatrix, & Domina ſuper Familiam Domini, & ſuper

om-

omnia,quę poſsidet Deus; & cuius verè deuotus,eſt neceſſe ſit Beatus. Illa fecit, vt nobilitate generis, decoreque ſanguinis inclytus cum ſis,vitam cũ Stemmate hucuſque ęquaueris, & ęques; nobiliòr, dubium, an melior, maiorum, an propria luce clarior.Illa fecit,vt cum Vrbano VIII.Pont. Opt. Max. fueris ab Honorario Cubiculo, munus hoc non ſolùm cum honore ſuſtinueris; ſed etiã honore auctum, ad maiora promotus, gloriosè reliqueris. Illa facit,vt cũ Baſilicæ Vaticanæ ſis in Vrbe Canonicus, tanquam Eccleſiaſticorum morum Regula,atque omnimodæ virtutis Canon ab omnibus ſuſpiciaris.Illa facit,vt cum Theſſalonicenſis Eccleſiæ Infula potiaris, Antiſtitis nomen nõ vanum iactes; ſed ijs planè refertum virtutibus,quibus Apoſtolus Paulus authoritatem Epiſcopalem Tito commendat; *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſse*, &c. Illa denique facit, vt cum ſis virtutis merito Põtifi-

tificiæ Domus Maior, quò tutò Titulũ conſerues, imò ſis tuo Titulo Maior; ſanctæ humilitatis prędominio ſis ſemper in tuis oculis minor. Perijt in Vrbe Theſſalonicenſi (cũ iſta olim ob Schiſma, & Hęreſim, & à Sede Apoſtolica Romana defectionem funditus interijt) perijt Templum illud non manufactũ, Deiparæ conſecratum, de quo Ioannes Imperator Cantacuzenus in ſuo Hiſtoriarum lib. 3. cap. 93. Sed ſi perijt in Vrbe, non perijt in Antiſtite Theſſalonicenſi: in Te, inquam, Præſul pientiſſime; cuius Cor, ſi Templum non manufactum Auguſtiſſimæ Cœlorum Reginæ cultui ex integro addictum, dedicatumquè eſſe affirmauero, nonnè affirmauero, quod verum eſt? Porrò Antiſtes Optime, cum Deiparæ ſis totus, eiuſque in ære iampridem viuas, illa Munuſculo hoc planè aureo Clientis ſui, ſanè pręſtantiſſimi, probatum nunc teſtatumque ergà Te facit amorem ſuũ,

maio-

Digitized by Google

maioribus tecum muneribus in poſterũ
actura, vt obſequia, quæ illi aſſiduè
præſtas, etiam in hac vita cum fęnore
recompenſet. Voluit hoc Opus, quod
totum in ſuis laudibus verſatur, tua
ætate publicari, & è ſitu, ac tenebris in
lucem, apertumque proferri, non ſo-
lùm vt gloriæ Tuæ in Orbem exiens
velificaret Iſidorus, pietatem ergà ſe
tuam ratam exploratamque apud Ho-
mines reliquendo; ſed vt per Te habe-
rent, eius laudibus prçconijſque addi-
cti, grauiſſimum Authoris diſertiſsimi
monimentum, dignum profectò, quòd
pijs omnibus communicetur, atque ab
omnibus Mariano cultui mancipatis,
aſsiduè teratur. Gaudet profectò Iſido-
rus in Cœlis, quod Te Patronum ſit
nactus in Terris: & pro Tutela, quam
hic Operi exhibiturus es ſuo, Tibi illic
viciſsim ſuum patrocinium repromit-
tit. Hoc igitur Opus, velut beneuo-
lentię Deiparæ ergà Te pignus, & mo-

nu-

Digitized by Google

numentum accipiens, Iſidorum Tuum, ſub Tui Nominis auſpicijs prodeuntem, amanter ſuſcipe: & Me humillimum, Tuique obſeruantiſsimum ſeruum, vnà cum Congregatione mea vniuerſa, Tuis obſequijs, honoribuſque deditiſsima, humanitate Tibi innata complecti, ac proſequi dignare. Vale. Romæ. Ex Aedibus S. Mariæ in Campitello, Die 31. Martij, Anno à Partu Virgineo M.DC.LI.

Im-

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Aſcanius Riuald. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus, Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Vincentij Candidi Sac. Palat. Apoſt. Magiſt. Ord. Præd.

LE-

Digitized by Google

LECTORI.

AVctorem Marianum diù ſinè culpa in carcere detentum, ac penè obliuione inobſcuratum, & debitæ libertati reſtituo, & ad poſterorum longiorem memoriam, communemque vtilitatem, publicæ luci ſiſto, Humaniſſime Lector. Latuit vſque modo (licet nunquam reus) in ampliſſimæ, veterũque librorum ad miraculum vſque refertiſſimæ Bibliothecæ Vaticanæ Græco M.S. Codice, tanquam carcere ſepultus; nunc verò, volente Deo, optata libertate donatus, ac Typorum beneficio multiplicatus, non ſolum contra inuidorum Hominũ iniurias, ac temporis omnia conſumentis edacitatem ſeſe in poſterum faciliori negotio liberum tuebitur; ſed, vt ſpero, exemplo ſuo, innumeros ferè Deiparæ Virginis cultores, præconeſque efficiens (quod antea, quia carceri mancipatus, liberè præſtare non poterat) ad parem Marianæ pietatis exprimendã Imaginem eoſdem efficaciter mouebit, & tanquam incuſſis ſtimulis impellet. Quis ille fuerit, cum de eius ortu, proſapia, & rebus geſtis, nihil adhuc explorati apud probatos Scriptores inuenire potuerim, nihil etiam certi poſſum literarum monumentis conſignare; & mihi peculiare magis profiteri neſcire quod neſciam, quam diuinare. Porro R.P.D. Vincentius Riccardus Clericorum Regularium non infimum decus, amicus meus, de hoc à me Authore conſultus, mihi per literas in hunc modũ reſpõdit: *Iſidorum Theſſalonicenſem puto illum eſſe, qui tẽpore Io. Cantacuzeni Imperatoris circà annum*

Do-

Domini 1350. *fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus, exauctorato Ioanne, de quo Cantacuzenus lib. 4. cap. 3. Exauctorato Ioanne, Iſidorum eligunt, virum probatis moribus, ac mitem, & ad omnem ſanctitatem iam natum, atque in literarum diſciplina, & recondita dogmatum ſcientia perfectũ. Imperator electionem approbat, nec multò poſt conſecratur; & quia competitore Palama, quem ferè omnes expetebant, eo reiecto, ipſe fuerat electus, nè triſtis abiret, ei contulit Theſſalonicenſem Epiſcopatum. ex Cantacuzeno lib. 4. cap. 15. quem ipſe ante Patriarchatum à Ioanne obtinuerat. Hæc diuinans potiùs, quam aſſerens protuli in re adeò obſcura*. Sic ille. Suſpicatur etiam Vir eruditiſſimus Leo Allatius, Iſidorum, de quo agimus, fuiſſe illum, qui ante Gabrielem Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, Simeonis Archiepiſcopi pariter Theſſalonicenſis, Anno ſalutis 1429. defuncti, immediatè anteceſſorem; in Theſſalonicenſi Cathedra immediatè ſedit: cuius memoria in Synodico Theſſalonicæ legi ſolito, die Dominico, Orthodoxiæ dicto, ſcilicet Dominica prima Quadrageſimæ, hoc Elogio celebrabatur: *Iſidori Beatæ recordationis, Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, qui inſtar ſplendidi Syderis, gregem ſuum hunc illuſtrauit, ſuis quotidianis doctrinis, & admonitionibus, & æquè atque bonus, & primus Paſtor Chriſtus, modis omnibus Ouilis curam geſſit, & longas peregrinationes ſuſtinuit: & quicquid diuinum, & ſaluti conducibile videbatur, & ſermonibus edocuit, & operibus demonſtrauit: Et verè ijs, qui ante eum & virtute, & doctrina conſpicui fuere rebus omnibus*

nibus exæquatus eſt. Sic ibi. Quidquid tamen ſit, hoc certè de Iſidoro noſtro poſſumus affirmare, fuiſſe illum Theſſalonicæ (quæ ante ſchiſma, & hæreſim, & à Sede Romana Apoſtolica defectionem, Vrbs maximi momenti, poſt Conſtantinopolim maxima, & illuſtriſſima, alterque Romani Imperij oculus à Io.Cantacuzeno in ſuis Hiſtorijs dicta eſt) in Græcia Archiepiſcopum: atque inter alia ingenij, pietatis, doctrinæque præclara monumenta in Bibliothecæ Vaticanæ ſinu recondita, has quatuor de Deipara Virgine Orationes, ardentiſſimi amoris in eam indices, à Marianis cultoribus iugi lectione euoluendas, & aſſidua commendatione prædicãdas, poſterorum memoriæ reliquiſſe. Et quamuis Vaticani Codicis authoritate ſubnixus, eius Nomini Sanctiſſimi Titulum præfixerim: attamen cum nec ex Menæis Græcorum, nec ex veterum Scriptorũ monumentis eius ſanctitatem probatam hactenus inuenerim, Sanctum ipſum in rigore appellare non audeo, ſed Sanctitatis appellationem in latiori ſignificatione vſurpans, Sanctum eundem nuncupare intendo more Græcorum, qui non ſolum Eccleſiæ Faſtis adſcriptos, ſed omnes ferè Epiſcopalis dignitatis culmine conſpicuos, Sanctorum, imò Sanctiſſimorum nomine appellare conſueuerunt. Illũ, Virum pium, ac doctum appellat lib. 4. ſuæ Bibliothecæ ſanctæ Sixtus Senenſis; & tomo 2. ſui Apparatus Sacri Antonius Poſſeuinus; atque eundem ſcripſiſſe Grecè Homilias in Lucam, in Bibliotheca Vaticana ſeruatas, ibidem commemorant; tempus, quo idem floruit, vel obijt, taciti prætermittentes. Ego quidem in Bibliotheca Mariana Parte Prima

de-

Digitized by Google

deceptus Iſidori Theſſalonicenſis Nominis ſimilitudine, Iſidorum hunc Theſſalonicenſem Archiepiſcopum, eundem eſſe putaui cum Iſidoro Theſſalonicenſi Archiepiſcopo Rutheno, & S.R E. Card. qui in Concilio Florentino claruit, & Romæ ad meliorem vitam tranſijt, Anno ſalutis 1464. Huic vltimo attribuens literarias de B. Virgine lucubrationes, quæ, vt ex Codice Vaticano, atque harum Orationum titulis perſpicuum eſt, priori erant ſine vlla controuerſia tribuendæ. Sed iam noſcens eſſe diuerſos, veritatis amans, libenter veritati cedo, liberèque errorem in hoc fateor, & emendo meũ. Dolendum profectò, aridam ferè hucuſque manſiſſe memoriam eius, qui virentem ſemper, & floridã habere promeruit, & ſquallorem obliuionis pene obductum eruditis lucubrationibus illius, qui in Deiparæ Mariæ Virginis laudem, commendationemque, ingenij ſui vires omnes profudiſſe videtur. Faxit autem Deus Opt.Max. vt huius Mariani Operis publicatione, tantus Pater, ac Præſul, quo olim Theſſalonica ditata, & illuſtrata fuit, ſuæ reſtituatur gloriæ, & tanquam Phœnix, viuifico Mariani ſolis beneficio, ex obliuionis cineribus reſurgat ad omnium notitiam rediuiuus.

DO-

Digitized by Google

DOMINICVS TVCCIVS,
Clericorum Regularium Congregationis Matris Dei Rector Generalis.

CVM Opus, cui Titulus: Mariale Iſidori Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, à P. Hippolyto Marraccio Noſtræ Congregationis Notis illuſtratum, duo Viri docti eiuſdem Noſtræ Congregationis, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt Typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos ſpectat, placuerit. In quorum fidẽ, has Litteras manu Noſtra ſubſcriptas, & Sigillo Noſtro munitas dedimus, Romæ Die 25. Martij 1651.

Dominicus Tuccius Rector Generalis.

IN-

Digitized by Google

Sanctiſſimi Præſulis noſtri Iſidori Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, in Natiuitatem ſupra omnem omnium modum Puræ Dei Genitricis, & Dominæ noſtræ ſemper Virginis Mariæ.

ORATIO I.

MOSES ille, cui Mare ceſſit, cui Terra fontes miniſtrauit præter humanam opinionem; imò & Cœlum demiſit eſcam inſolitam; primordia Mundi narrans: Terra, inquit, in principio nec videri poterat, nec erat ordine compoſita, & tenebræ ſuper Abyſſum erant, donec lucis creatio tenebras diſſipauit. Ego verò etiã poſt natos homines, & multorum vitam annorum, aliud genus tenebrarum offuſum Vniuerſo dixerim: donec Tu puriſſima Beata Virgo, lucida tua Natiuitate effulſiſti terræ; cuius ſplendor deorſum

quidem emicuit, ſed creaturam ſuperiorem & inferiorem luce ſua impleuit. Nam neque Sol, neque aliud præclarum corpus iucundiores, aut copioſiores, aut lucidiores, vtilioreſue radios emiſit, quam Immaculatiſſima Virgo; imò & Sol, & quæuis Creatura excellens, ante natam Virginem tantum abeſt, vt lucis aliquid poſſent afferre animæ, quod etiam quoſdam grauiſſima cæcitate perculerint, qui ea Deos eſſe, malè opinati ſunt; & vitam viuebant morte indigentem, vt verè viuerent; quemadmodum laudatiſſima quoque Pauli vox Coloſſenſibus ait: Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elemẽtis Mundi, quid adhuc tanquam viuentes in Mundo decernitis? Tenebras porrò illas, & ſepulchralem, vt ita dicam, viuendi rationem, fugauit apparens Virgo. Ipſa igitur nobilioribus etiam creaturis, & lucidis lucem infudit, vt qui attendunt, quid illæ ſint perſpiciant, nec amplius in erroris noctem labantur. At quærat fortaſſe quiſpiam, cur illa creatura, quæ sũmam attulit vtilitatem, non effulſerit vnà cum primis creaturis, vt maximo eſſet ornamento & impedimento ſimul, ne qui

qui lapſi ſunt in vllum prorſus inducerē-
tur errorem. Arbitror ſanè, ſicut imper-
fectos adhuc, & nondum ætate firmatos,
aggredi ſublimiora opera non permitti-
mus, donec prouecti poſſint maiora tra-
ctare; Vel, ſicut oculorum acie minus va-
lentes, non ſinimus contueri radios So-
lares, antequam videndi facultas vires
acquirat, quibus poſſint cum voluptate
Solem inſpectare: ad eundem modum
rerum Opificem, creaturam hanc admi-
rabiliſſimam, 1 Spectaculum ſublimiſſi- 1
mum, 2 Globum lucidiſſimum, Virginē, 2
inquam, laudibus omnibus cumulatam,
cum alijs ab initio nō putaſſe producen-
dam. Rebus enim tunc in infantia conſti-
tutis, antiquorum nullus 3 magnificen- 3
tiſſimam hanc pulchritudinem, 4 ſplen- 4
didiſſimum, ac glorioſum iubar, ea, qua
decet attentione potuiſſet inſpicere, &
ex ea micantē ferre ſplendorem. Quòd
ſi quis aſſereret, & Cœlum, & Terram, &
Mare, & quicquid ante Virginem creatū
eſt, obtinere vicē materiæ, idcircò prius
creata, vt Creator illis perfectionem ad-
deret, veluti formam, 5 nouum hoc & 5
incomparabile ſimulachrum, B. Virginē;

non procul à veritate mihi videtur aberrare. Si quis etiam diceret, priora omnia fuiſſe, velut arbores, pulcherrimum hunc & prẹſtantiſſimum parturientes fructum, arbitror non incongruenti ſermone vſurum. Hoc etiam mihi videtur innuere dictum illud ſcripturæ; *Terra dedit fructum ſuum*; Terræ nomine ſignificans, quæ producta erant; fructum verò illum, qui pretioſiſſimus eſt. Opus enim erat, non duabus, tribuſue, aut decies multiplicatis creaturis; ſed longè plurium concurſu, vt in lucem ederetur 6 ſpecioſiſſimum hoc, diuinumq; Donarium. Sed quid ego dico? Si quis attentè conſideret, nulla re creata indigebat, beata vt ipſa fieret: imò creatura omnis indigebat ea, vt crearetur, & ornatu perficeretur: reductio enim creaturarum in meliorem ſtatum, proculdubio cauſam habuit ipſam Virginem, quæ ſi futura non fuiſſet, non cogitaſſet Opifex de producendis planè creaturis. Itaque prius 7 creatæ res propter ipſam cõditæ ſunt, erantq; res productæ mirum in modum indigentes ad ſui productionem, ea, quæ producenda erat; & ſola nouum in modũ

Pſal. 49.

6

7

ſuos

ſuos ante peperit parentes: Adeò Virgo eorum, qui ante vixerunt, nullius indiga fuit, & ſimile nihil illi eſt cum omnibus rebus. Quid enim è rębus conditis fiat aſſimile admirando huic diuinę artis operi, cuius ſpecie captus fuit & ipſe Conditor, & ſumma illud ſibi cognatione coniunxit? Matrem enim, rem omni admiratione maiorem, ſibi præparauit illã, exiſtimans aliter oſtendi ſatis non poſſe puriſſimæ Maieſtatem, niſi cum ea intercederet ipſi prima omnium neceſſitudo, materna, inquam, qua nihil iunctius apud homines, aut honorabiliùs eſſe ſcimus. Quod verò noſtrę particeps fuerit & ipſa formæ, ſanè ob nihil aliud factum hoc dixerim, quàm vt ſanctificatio, decuſque formaretur eorum, quibuſcum illi natura communis eſt: vt ſicut *Conformes facti ſumus ſimilitudinis* beatæ illius, diuinæque Imaginis (liceat vero mihi bona illuſtris Pauli venia, vſurpare ad hoc verba eius) ita & gratiarum fieremus participes. Hoc igitur eximium ſupra vires naturæ opus, mira nouitate decorum ſimulachrum, quæ eò gloriæ peruenit, vt Deo dignum conſtrueretur aureum habitaculũ, hodie Ad Ro. 8.

natum celebramus, & Natalis eius Feſtiuitatem colimus, myſterium ſublime & venerandum natæ Virginis annunciãtes cunctis fidelibus. Iamque illud conſideremus. Vbi Deus omnia creaſſet, *valdè*
Gen. 1. *bona* eſſe pronunciauit. Rerum porrò harum omnium aſpectabilium, & pulcherrimarum Dominum conſtituit Hominem: Neque hoc tantùm, ſed morte etiam, & corruptione ſuperiorem,& gloriam conſequuturum (quam perdidit, inuidia ſeductus) æqualitatem, inquam, Dei, quantum è terra creatus caperet, ſi à Dei mandato non reſiluiſſet. Verùm ille poſthabito Creatore, ſeductori ſeſe ſubiecit: iacebatque nudus, miſerabilis, captiuus, heu, priſtina omni nobilitate exutus. Et bona illa omnia, ac valdè bona,iuxta inerrantem Creatoris ſententiã, in mœrorem quodammodò verſa ſunt, quod ſuum Dominum hominem vidiſsẽt ab aduerſario, veluti vinctis poſt terga manibus ſubiugatum. Nã Terra,& Mare Stellarumque Corona,& Colles, & quæcunque ad Creatoris laudẽ aduocat Propheta, ſilebant, nec Hymnum canebant, quod plectrum, id eſt lingua, vi pulſaret
ci-
Digitized by Google

citharam alieni. Cœli quoque gloriæ Dei præcones, otioſi erant; nec celebrabant, aut enarrabant illuſtria quæque, obliuione capti. In ſumma omne bonum ſuam depoſuerat formoſitatem, cum non haberet, vnde ſe pulchrum, & bonũ oſtenderet, interprete, propter quem, bona eſſe omnia dictum erat, ad alienos conuerſo mores. Iacebat ergo omnis illa creatura ad iucũditatem creata, elinguis, ſquallida, & veluti mortua. Quia verò & ſibi & alijs cauſa infelicitatis erat inſignis creatura, Homo: & oportebat ſuperabundanti miſerationis cumulo diuinæ bonitatis illum reuocari, Quid fit? Quid miraculi patratur? Terram Deus terere ſtatuit; quæriturque Homo, qui illum ſuſcipiat, vt ſimul & genus humanũ à ſeruitute liberaretur, & venuſtatem ſuã omnis creatura recuperaret. Et cum multi & eximij olim apparuiſſent Viri, vt Moyſes ille admirabilium factorum Auctor; Cœliq; quaſi Ianitor Elias, & egregium reliquorum examen virorum, & Prophetarum; nullus erat, qui ad id, quod quærebatur eſſet idoneus. Serò tandem, atque poſt multos Solis recurrentis gy-

8. 9. ros, 8 Homo nouus,& 9 magnum, ac verè viuificum Elemẽtum, Ros cœleſtis, vas Dei capax, venuſtiſſima puella Virgo in vitam affulgens emerſit: & eripitur quidem per hanc è calamitate homo; & reſumit dignitatem priſtinam, & regio more inſidet, ſeductorem deridens; & vinculis, quæ ipſe vt mancipium antea gerebat, ſuum colligat venatorem. Omnis verò creatura ſuum rurſus decorem oſtentat; & magnificum Conditoris opificium celebrat; inuenit enim hymnidicum, ſapientemq; ſcientiæ, quæ in creaturis emicat, expoſitorem. Et nunc planè propheticis ſermonibus paret conſurgens ad laudes Domini: atque, vt vno verbo dicam, Ortus Mariæ ſemper Virginis Dei Matris, origo eſt regenerationis, reſtitutionis, in antiquam formam reductionis, & renouationis Vniuerſi. Tot gratijs abundat editio Virginis; Ita Natalis eius dies gaudium omnibus & victoriam buccinauit: tantam præſens Feſtiuitas myſticæ contemplationis altitudinem obijcit. At quis dignè valeat, aut mente concipere, aut linguæ officio percenſere, vel decorem, quo omnis creatu-

ra per hanc communem omnium Reginam ſplendeſcit; vel ipſius magnificentiam, propter quam & Deum in ſe excepit, & in effectum deducta sũt illa omnia, quæ illi, & creaturis omnibus inſunt illuſtria, & glorioſa? Quia enim quantò quis ſe magis elimat, vt ſimilis Deo ſit, tantò etiam pluribus inde cumulatur congruẽtibus donis, & coniunctior euadit: vt oſtenderet Creator, 10 quàm ſimilis Deo eſſet Virgo; proinde illum arbitror voluiſſe ſibi eam tam nouo coniunctionis modo conſtringere, & illius merito, creaturam omnem exornari cultu honorifico. De ea opinor pronunciatum à Propheta Dauid admirante, dum ait: *Quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filijs Dei?* Pſal.88 Nemo enim ſuperior fuit Beata; nemo propius aſcendit ſuper altitudinem nubium ad ſimilitudinem diuinam: ſed nec erit qui ad tantam altitudinem prouehatur. Hæc enim eſt ſublimiſſimus Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Hinc fit, vt mea quidem ſententia, liceat de Regina non immeritò dicere, quę præclarus Abacuc de Domino dixit: *Operuit Cœlos virtus* Abac. 3

eius,

eius, & prudentia eius plena eſt terra.
Luc.16. Quod ſi, vt Sanctus Lucas in Euangelio
prædicauit, *Quod hominibus altum eſt, abo-
minatio eſt ante Deum*; Quantam ego ha-
bendam dixerim ſuper omnes Homines
& Angelos Virginis altitudinem, quæ
Deum attraxit in terram? Idcircò iure
optimo ſublimiſſimus hic fętus erit vocã-
dus, vno excepto Deo, ſuperior omnibus.
Si verò hoc; miſſum quoque è Cęlo erit
dicendum. Siquidem ſummi Theologi
circumſonantis vbique vox eſt: *Qui de*
Io. 3. *Cœlo venit, ſuper omnes eſt.* Ego verò quo-
niam terra olim malè ſe habebat, & tota
repleta erat agitatione, & inſania, & pec-
cato veluti quaſſata; nec poterat ex ſe
progignere aliquod pharmacum, quo
malũ elueretur, & morbus depelleretur;
è cœlo vno dixerim fuiſſe remedium
adhibendum, & ſalutare aliquid laboran-
ti porrigendum. Qui igitur commotio-
nem illam ſedauit, & ingratum morbi
11 fœtorem depulit, hic planè fuerit illu-
ſtris Medicus, nempe Virgo, & cœleſtis
omninò vocandus. Mihi enim Dauidi-
cum quoque illud huc ſpectare videtur;
Pſal.67. *Terra mota eſt; etenim Cœli diſtillauerunt.*

Vſum

Digitized by Google

Vſum verò arbitror Prophetam voce illa, diſtillauerunt, vt oſtenderet è Cœlis, non vt olim apertis effuſos eſſe nimios imbres mortem afferentes, vt arca etiam modica indigerent homines ad ſeruanda generis ſemina, quę tamen poſt ſalutem, aliud genus commotionis in terram deiecit, ex ebrietate prouenientis; ſed moderatè. Quomodo id exprimas? Cœlis veluti percolatum florem gratiſſimi odoris, ſuauiſſimum hoc vnguentum, Virginem hominibus effluxiſſe. Et ſi certum eſt Deum nos benigno per ipſam reſpexiſſe oculo, certè illud etiam de ipſa dictum fuit: *De Cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum de præparato habitaculo ſuo.* Si præterea Templum Dei eſt ac Sedes, omninò neceſſarium quoq; eſt, & indubitatum de illa eſſe dictum: *Dominus in Templo ſancto ſuo, Dominus in Cœlo ſedes eius.* Quapropter 12 Cœlum & Cœlorum fętum ſi quis Virginem appellet, ille, mea ſententia, non errabit: Nec dubitandum eſt aſſerenti B. Virginē eſſe Cœlum, & è Cœlo, quòd parentes eius è luto fuerint, & ex Adæ propagine: Nam terra quoque producit plantas,

Pſal. 32.

Pſal. 10.

12

vir

virtus tamen roris eſt deſuper cadentis; vt & proferat, & humanæ vitæ commodum nutriat fructum. Ita & eſt, qui fecit ſtatuam ex auro; ſed ipſe non dedit aurũ, ſed artis induſtriam tantummodò contulit. Quòd verò, vt diximus, Virgo ſuper omnes ſit; & nullam ſit è terra ſimilem illi reperire imaginem, ex eo perſpici poteſt: Omnibus enim, quæ oriuntur, opus eſt generante; fortaſſe ſi ad nihil aliud, certè vt ipſa generatio fiat. Cuius rei plantæ, & quæuis animalia teſtes manifeſti ſunt. Anna verò veneranda parens Nata ſua indigebat, vt generans regeneraretur: & dum gereret vterum, ipſa nouum in modum gerebatur. Neque ſolum ipſa, quæ Genitrix fuit, ſed proaui quoque eadem opus habebant, veluti matre, qua formarentur ad formam & non caducam creationem; quod prima illa parens non ſtabilem habuerit compactionem, cum puluis eſſet, & vi ventorum ageretur. Nec ſolus Adam, ſed ingens ex eo Natorum numerus vſque ad ſacratiſſimam hanc Puellam quaſi ſuas quiſque matres reieciſſet, vt imperfecta, & mutila enixas, hanc communem Matrem omniũ

per-

Digitized by Google

perfectricem, & lucis datricem perquirebant. Quare ventre materno continebantur & formabantur: tumque reuera in lucem editi ſunt, quando nata ipſa, Saluatorem quoque meum nouo ex ſe protulit modo. Hinc etiam audeat quiſpiam, eximium illud de ea pronunciare, quod lingua tonitrui fragore perſonans, dixit: *Vidimus gloriam eius quaſi gloriam* Vnigenitę Dei Matris plenę gratię & veritatis. Non ſolis autem antiquioribus datum fuit hoc beneficium, ad eum, quē diximus modum, vt in lucem ederentur, ſed ſacræ poſteritati quoque vniuerſæ donata fuit regeneratio, veraque vita, luciſque ſplendor, quæ etiam in perpetuū manabunt à laudatiſſima Virgine, donec magna & ſuprema lux effulgeret, nunquam paſſura occaſum. Ille, inquā, huius copioſa prole fecūdæ & Filiæ, & Matris, & Virginis fętus. Quamobrem de ea fas eſt dicere, paulum immutatis verbis, quod de Saluatore B. Paulus dixit; Quod *vita noſtra abſcondita erat* cum ipſa; *&* *quando* ipſa *apparuit vita noſtra*; *tunc &* *nos apparuimus cum* ipſa *in gloria*. Illud quoque venerandi Abacuc non

im-

immeritò, vt mihi videtur, aptari poteſt: *Egreſſa es in ſalutem populi tui; ad ſaluandum Chriſtos tuos veniſti*. Zaccharias etiam, Deo inſpirante dixit; *Viſitauit nos Oriens ex alto, illuminare ijs, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent*. Vmbra enim planè antiqua illa erãt, & nihilo tenebris meliora. Quę omnia Virgo Beata priuſquam eſſet edita, mirum in modum, vt dictum eſt, parturiebat; & natis verum natalem reddidit, & luci dedit, quaſi non paſſa ſuarum opum alios quoque non facere participes, lucidæ inquam plenitudinis, inſtar vnguenti optimi, quibus allitum fuerit, ſuam virtutem largiẽtis. Hinc igitur quadam myſtica ratione, non ſolũ præſtãtia filiorum, ſed etiam copia excellit Virgo, melior Achaab illo, ac Gedeone ob multitudinem filiorum. Mirandum verò non eſt, quod prolem adeò nouam, adeò copioſam eſſe Virgini dicamus, cum illa præſtiterit, quod maximè nouum extitit, procreans Conditorem Vniuerſorum & Parentem. Dignum porrò eſt illud etiam explicare, è quibus, & quo pacto nata ſit Infans, omni ætate prudentior fetus, amplior vniuerſa terra

&

Digitized by Google

& Cęlo, Puella ſuperior natura, & ineffabilitèr in faſcijs Mater. Ioachim & Anna coniuges erãt ambo iuſtiſſimi, et exactiſſimi Legis Obſeruatores, moribus integri, et æconomia præſtãtes pacifica ſine diſſidijs. Ea propter valdè cõſpicui erant; et quia quod ſupererat facultatum, egenis donabant: erant enim opulentiſſimi. Nam alij pro ſe tantùm munera Domino offerebant: hi verò opum abundantia, imò potius liberalitate animi, et amore in ſuum genus, et pro ſe ipſis, proq; vniuerſo populo duplam dabant oblationem. Propterea primiores inter Iudaicæ illius, et regia dignitate excellentiſſimæ Tribus numerabantur. His igitur connubij iure diu coniunctis, nulla prolis erat felicitas, quod illis graue nimis erat, et cordis magno dolori. Accidit ergò, vt cum celeberrima Feſtiuitas apud illos ageretur, oblationes de more offerrentur in Templo; 13 Qui verò tunc Sacerdotali mini- 13
ſterio fungebatur Rubim, et munera pręclariſſimorum coniugum non acciperet, et inſuper acerbis verbis ſterilitatem exprobraret. Non enim licet vobis offerre munera Deo, quoniam in Iſrael ſemen

non

nõ feciſtis. Momordit verbũ hoc ſanctos illos coniuges, et magnum ingeſſit luctũ, vt imò è corde ſuſpirarent, orbitatem ſuam lugubrè deplorantes. Cæterum, quod illis agendum erat iuſtis tantiſque hominibus, confugiunt ad potentem de lapidibus ſuſcitare filios, Deum: Sarræ illius recordati, et Rebecchæ, Vxoriſque Manue, aliarumque multarum, vt precibus è ventre ſterili prolem impetrarint. Communi igitur voto præclari Coniuges, dato ſibi inuicem conſilio, ſuadet quidem Vxor Viro, nihil præter Dei voluntatem innouare, quemadmodum Eua ſuo et Coniugi et Parenti: aut ſicut Iezabel ſuaſit Viro Achaab vt Aſtartæ ſacrificaret: ſed exiſtimare ſolum eſſe Deũ, qui eo malo liberet, à quo ſperanda ſit lætitiæ cauſa proles, non ſibi tantùm, ſed plurimis quoque alijs. Eadem et Virum admonentem Anna promptè ſequuta eſt, ſicut olim Rachel illa, et Lia Iacob è domo Soceri abeuntem. Ita communi volũtate polliciti etiam Deo ſe dicaturos, quod ſuſcepiſſent, digreſſi, per totos quadraginta dies vacarunt aſſiduis precibus cum lacrymis, et ieiunio; tumque ſeorsũ

vter-

Digitized by Google

vterque per ſanctum Angelum accipiũt à Deo ſcribendæ tabulæ nuntium, illius Tabulæ, quæ fuit longè excelſior Moſaycis tabulis, æquali dierum numero præciſis; & in Monte ſimiliter: Orabat quippe Ioachim in Monte: Locus etiam, in quo Anna preces fundebat, reſpondebat primæ Parentis diuerſorio; erat enim hic etiam Hortus, licet non ſimilis excerptus fuerit fructus: Ibi enim exorta maledictio; at nouum Annæ Viridarium lætitiam protulit. Cum itaque iuſti Coniuges, huiuſmodi ſupplicationibus, vt dictum eſt, operam darent; Exaudita eſt, inquit vtrique Angelus, oratio veſtra; & naſcetur vobis puella, cuius gloria totũ in Orbẽ diffundetur. Et re ipſa ſubſequitur, quod nuntiauit Angelus: & ſeruata Deo Puella, noua illa creatura, nuper editum, quod eſt viſu omnium ſplendidiſſimum, floridum, & ſpecioſiſſimũ germen,
14 ſemper virens, animoque iucundiſſimum vmbraculum, 15 Fama permeans Orbem vniuerſum, planta cunctis efficaciſſimam medelam afferens orta eſt. Et licet ſanè de Iuſtis illis confidenter vſurpare illud Iſaiæ: *Propter timorem tuum* Iſa. 16.

B *Do-*

Domine concepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ, quo vtero geſſimus ſuper terram. Fuit enim verè precum, timoriſque Dei partus, hic ſalutaris fœtus, qui Dei digito ineffabilibus gratiarum formis depictus, & exornatus eſt. Edita porrò hac luciditſſima, diui-
16 naque imagine, 16 deſijt quoque Anna liberos parere. Non enim opus habebat hæc Mater, vt alia proles adderetur, tanquam ſuppletura, quod primogenito deeſſet: nam ea, quæ nata fuit, cunctis pollebat virtutibus. Similem verò Puriſſimæ non poterat parere. Quòd ſi & ſecundam peperiſſet, dubitari de ea potuiſſet, vtrius puellæ eſſet mater: fieri quippe non poterat alium fętum propè accedere ad Virginis virtutes: nam ex eo magnum pateretur damnum gloriæ, quam modò habet ex Vnigena; ſed nec Homines, nec Angeli, nec alia creatura optabat, vt ſecũda proles è tã pulchripara matre naſceretur. Satis enim fuit magnipotens, & natura ſublimior Puella vnica ad decorem vniuerſæ creaturæ. In ipſa enim ſunt, vt loquar iuxtà eximium Paulum,
Ad Coloſſ. 2. *Omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſcon-*

ſconditi. Idcircò Anna prudenter de e-dendo alio fętu deinceps nihil curauit. Cæterum illud quoquè admirandum mihi videtur, cur Deiparæ Genitoribus attributa fuerit per excellentiam appellatio, vt Iuſti cognominentur, ſicut patet è ſacris Liturgiæ Ritibus? Nam in Catalogo Sanctorum, hi tantum præ cæteris Sanctis ſimul, & Iuſti uocantur. An quia, quod æquum erat, & ſibi, & Mundo diſpenſarunt, aliam non ſuſcipientes prolẽ, ideoque myſticè Iuſti cognomentum habent? Aut igitur propter hoc, aut etiã fortaſſe vocati ſunt, quod ſine dubio erãt, omni ſcilicet virtute præſtantes, vt videre licet è fructu: Aut omninò, quia Parentibus pręſtãtiſſima Filia vicẽ reddens ob partus excellentiam, quæ ſola in Hominibus viſa eſt vera Iuſtitia, fecit illos huius appellationis participes. Ita ergò, & ex talibus, vt explicatum eſt, Genitoribus, nata eſt pulcherrima ſoboles, germen, quod odore ſui floris Mundũ exhilarauit vniuerſum; & ſuauiſſimum tulit ſupra omnem, & intelligendi, & exprimendi facultatem, alimentum; Homo ſuprà modum nouus, & ſupra modum

ſtupendus: Quæ ſola Hominem à Deo miſerabiliter ſeparatum; cui nec Cœlum, nec Sol, nec vlla viſibilis creatura, nec etiam omnium creaturarum concurſus, aut vim ſe colligendi, aut minimum animi leuamentum ferre poterat; hunc illa in Dei membra repoſuit, ſupra Hominis cętum; fecit enim Dominum caput ſuis inſidens membris, quod quidem ita perſpicere eſt. Creat initio Deus è terra Hominem, & coſta eius conſtituta eſt adiutorij eius mater. At vbi lapſi ſunt, non opus habuit terra Deus, vt nouum Hominem formaret, (puluerem enim reiecit, vt friabilem:) nec membro Hominis, aut Homine toto: Videtur enim Homo, quòd detracta coſta eſſet mancus, & ipſe reiectus eſſe; ſed quod non primũ è terra compactum, nec aliquo mẽbro mancum; nihil ad hoc aptius videbatur, quàm Virgo: Illa enim non è terra, vt ita dicam, eo quo diximus modo, & ſuper omnem creaturam abſolutiſſima erat. Hoc ergo aſſumit ad nouam creationem inſtrumentum, vt etiam cum maximo fœnore acceptum mutuò redderet, videlicet coſtam. Idcircò naſcitur nouus

Adam

Digitized by Google

Adam Chriſtus meus, non perfectus tantùm, ſed & ſuperperfectus à nuper nata perfecta, quod ſpectat ad Homines, Deo cara Puella, & Matre, quæ deindè nos membra Dei fecit. Ita ſanè: verùm omnia, quæ facta ſunt, ſequitur neceſſariò defectus, nempè corruptio. Excipio incorporea: ea enim Conditor talia creauit, vt largiretur eis ſine fine exiſtere: vt multiformis ſapientia eius hinc etiam, vt puto, clareſceret, dùm rerum productarum quædam paterentur corruptionem, quędam verò immunes à corruptione permanerent. Sed ſi etiam huic neceſſitati omnes ſubeſſent creaturæ; quis puriſſimam quoque Virginem hoc malo teneri iure conceſſerit, per quam in lucē editam, vera creationis redintegratio, & vita effloruit, vt iam declaratum eſt? Sicut enim in 17 ea nihil fuiſſe demon- 17.
ſtratum eſt eorum, quæ apud Homines illaudata ſunt; ita vnam & Angelis ſanctiorem, & 18 communi infortunio ſu- 18
periorem eſſe decebat. Et quia tanta facta eſt, Mater quodammodo generationis, & fons, ea ratione qua diximus; generationem tantùm, & generationis co-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

gnomen illi attribui oportebat ſemper. Sicut & Angeli, quibus ipſa ſublimior eſt, immortales creati ſunt, & corruptione liberi. Quod tamen proculdubio non ſimiliter; vt Sole clariùs pateſcat Maieſtas Virginis, cũ fuerit corpore conſtans (certum verò hoc eſt, quia legem Hominum in ijs, quæ repræhenſione carent, non effugit) altiora egit, quam incorporea, & ſublimis Angelorum natura: quòd ſi etiam corruptioni non fuiſſet obnoxia, viſa eſſet non humana, ſed vna ex immaterialibus creaturis: nec eſſent tam admiranda ſublimia illa, quæ geſſit candidiſſima Virgo. Terra verò, quæ ſacratiſſimũ Puriſſimæ corpus excepit, nequaquam ſicut noſtra corpora illud abſumpſit: non quòd alia conditione illud acceperit; ſed vt corpus illud oſtẽderetur humanis corporibus melius, & corpori Domini valdè ſimile, diu illud detinere non potuit, vt latiùs Oratione in Dormitionem Beatiſſimæ iam oſtendimus. Quòd ſi propter hanc cauſam eſt qui neget in ea corruptionem, quia nimirum non æquè vt noſtra corruptum, & illud eſt, nos libenter ſubſcribemus. Alioquin corruptionis ratio

tio non corporibus tantum, ſed animabus quoque aduenire dicitur. Et corporis quidem corruptio eſt, ordinis continentis diſſolutio, & in ea, ex quibus conſtat, reſolutio. Corruptio verò animæ fuerit, abalienari à Deo, & ijs adhærere præter naturam, ad quæ à natura non dirigitur. Et, vt ſimpliciter dicam: Mors vtrique eſt, congruenter appoſitorum diſiunctio. Quamquam ſi coniuncta ſpectemus, aptè quiſpiam fortaſſe dixerit, quòd incongruens vtriq; obtigerit mors; quoniam, vt diximus, corpori quidem corruptio, eſt ad prima principia, & elementa reſolutio: Animæ verò mors oppoſitũ, à primo verè principio diſceſſus. Verùm ſecundum explicatam corruptionis animæ vim, cum ea ſit Virgo, quæ corruptionẽ non admiſerit; Nullus quippè Hominum omni prorſus peccato fuit immunis, vnum ſi excipias illum, qui noua proles Beatæ fuit; *Qui ſolus*, vtpote Deus & Homo, *peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*. 19 Nullius autem criminis labe nemo ſimilior Christo, quam Virgo puriſſima. Oportebat enim plus omnibus alijs aſſimilari Filio

1. Petri 2.

19

Matrem :omnium Hominũ cognoſcitur
candore puritatis excellentiſſima, quan-
tum mente capi non poteſt Virgo imma-
culata . Idcircò ſola inter Homines planè
incorruptibilis: Angeli verò, quòd olim
poſſent in ſupra expoſitam animę corru-
ptionem labi, oſtendit perſpicuè ſepara-
tus à Deo incorporeus ille, qui cunctis
eius inſaniæ ſequacibus ſupereminet , ex
ipſo, & per ipſum conſortibus mali, qui
pro ſuperna, & lucida dignitate, infimũ,
tenebroſumque ſuſcepit ordinem. Quòd
verò nunc Angeli ſint immutabiles; hoc
illos eſſe aſſequutos creditur, poſt viſum
ab eis ineffabilem Virginis partum. Si er-
gò, & illo, quicum lapſi ſunt Angeli, Vir-
go præſtantior declarata eſt;imò illis etiã
immutabilitatem, hoc eſt, incorruptionẽ
dedit,eo,quo animam corrumpi dicimus
modo; & illis certè longè meliorem eſſe
neceſſe eſt, & ex parte hac incorruptibi-
liorem. Omnibus igitur ſuffragijs Virgo,
eo,quo diximus modo incorruptibilis eſt:
20 neque ſolùm hoc, ſed 20. intelligibilibus
etiam ordinibus Angelorum cauſa incor-
ruptionis explicata, ſicut & inferiorum
omnium oſtenſa eſt cauſa generationis.

Digitized by Google

At quo quis poſſit appellare nomine ſętũ
creaturarum omnium Deo conditore di-
gniſſimum, atque, vt ita dicam, creabiliſ-
ſimum; vt non longè inferius eius digni-
tate videatur? Aut quibus illam condi-
gnis ornemus laudibus, à qua tot benefi-
cijs cumulati ſumus? Sed ſicut mihi, Fra-
tres; ita videtur & vobis, pro beneficijs
acceptis, vnà cum Angelis (nam 21. &
illos certum eſt Hymnos Virgini conci- 21
nere) diuinum illum nuncium Deiparæ
canamus: *Aue gratia plena*, per quam
omnis creatura gaudet; *Dominus tecum*,
qui tibi præſens aderat & ante vitam, & Luc.1.
genitæ, & ante Salutationem, & in illa, &
poſt illam alio modo. Nos verò pro be-
neficijs, quibus ab ea ſumus affecti, nos
ipſos in eo ſtatu conſeruemus, in quem
nos regeneratio reinnouauit, quo nihil
gratiùs eſt puriſſimę Virgini. Quod vtinã
nobis contingat precibus Immaculatæ, &
Inculpatiſſimæ Diuinæ Puellę: Ad gloriã
Omnipotentis, & Sanctæ Trinitatis, quã
decet gloria in interminabilia ſæculorum
ſæcula. Amen.

Eiuſ-

Digitized by Google

Eiuſdem in Ingreſſum Immaculatiſſimæ Dominę Noſtræ Dei Matris ſemper Virginis Mariæ ad Sancta Sanctorum.

ORATIO II.

QVEMADMODVM ad Sacrã Menſam ſi quis tum ſolummodò accedendum putet, cum ſe ad illam altitudinem perſpexerit congruenter aptum; nunquam, vt opinor, accedet ad Cœnã Domini: (quomodo enim Homo, cuius etſi *fuerit vnius diei vita*, vt Scriptura dicit, nunquam eſſe ſine labe creditur; rem omnium puriſſimam, & terrenis omnibus altiorem dignè ſumpturus videatur?): ita qui dignas Immaculatiſſima Dei Verbi Matre voces efferre ſtudet, à mutis piſcibus nihil differet. Sed ſicut benignitate Saluatoris fidentes, guſtamus inenarrabilem illum cibum, eo præſertim nomine, vt

Digitized by Google

noſtrarum conſcij macularum, per communionem purgemur: ad eumdem modum de Beata quoque Virgine ſentiendũ eſt. Idcircò de illa pro viribus diſſerendum, vt eam celebrantes, & admirabilia, quæ geſſit, memoria repetentes, ſanctificemur, & macularum ablutionem reportemus. Eorum certè, quæ ad illa ſpectant, nihil eſt, quod ſanctificandi vim non indat, appellenti animum ad ea conſideranda. Quicquid verò dixeris, Ingreſſus in Sancta Sanctorum, nihil minus hoc idẽ efficit: quippe menti obiectum Myſteriũ ſtatim largitur ſanctitatem, pro ſignificatu vocabuli, ſi animo voluatur. De eo nunc dicturis nobis, vtinam & mens, & lingua ſanctificetur, vt eius appellatione conſonum aliquod proloquamur, & non omninò diſtans à ſublimitate intemeratiſſimæ. Quanquam certum eſt, ſermonẽ non poſſe ad debitam peruenire dignitatem. Sancta Sanctorum antea Templum illud iure dicebatur, in quo & Arca erat, & Tabulæ, ac veneranda omnia illa trophæa Moſis, & teſtimonia, in quo dabatur & accedentibus purgatio, & veterum admirabilium prodigiorum expoſitio, de-

declaratioque fiebat; vt planè toto ter-
rarum Orbe nihil eſſet, quod ſancto illo
Templo haberetur, aut vocaretur ſacra-
tiùs. Sed ſicut lucernæ lumen ægregie
lucet, & vſui eſt, dũ latet illud Vas, quod
ſimul inſeruit, præeſtque diei; magno ve-
rò luminare oriente, ſuperuacaneum eſt,
quod impenditur in lucem lucernæ, &
omninò paruipendendum ob radij Sola-
ris exuberantiam: ita locus, qui Sancta
Sanctorum vocabatur, nunc deliteſcit, &
cum nulli ſit vſui, extinctus eſt, quoniam
alia ſacratior Domus conſurrexit, & ſplē-
deſcit, puriſſima, inquam, & lucidiſſima
Dei Sponſa. Imò priora illa Sancta San-
ctorũ ſic ego arbitror vocata, quòd ali-
1 quãdo recéptura eſſent 1 poſteriora hęc
Sancta Sanctorũ; non quidem temporis,
ſed ſanctitatis, dignitatiſque amplitudine
excellentiora, quantũ mente capere non
licet: perindè ac ſi quis globum non im-
meritò vocaſſet Solem propter futuram
lucem: aut Regiam nondum inhabitante
Rege, propter inhabitaturum Regem.
Et ſicut lumini, quod arte accenditur,
parua ad magnum & non indigens im-
penſis, ſimilitudo, dedit, opinor, vt lu-
men

men & ipſum vocetur; & cognito prius illo, huic quoque talem dedimus appellationem: eodem modo noua Sancta Sanctorum, Puella, inquam, quæ modò nos ſanctificauit, prioribus Sanctis Sanctorum cognomen hoc dedit, vt recentia Sancta Sanctorum, nouo quodam modo, antiquiora eſſent prioribus: illa enim nunquam ita eſſent vocata, niſi eminùs proſpicientibus oculis propoſita fuiſſent poſteriora, propter quæ, illa & apparuerunt, & ſanctificabant, & ita vocata ſunt, ſicut à conditore denominari Ciuitas ſolet. Idcircò enim, vt dictum eſt, & extructa illa fuerunt, & Sancta Sanctorum 2
nuncupata, quod præfixum eſſet, fore,
2 vt in illis commoraretur, quæ digne audiret, Sancta Sanctorum. Præterea, ſicut antequam eſſet Homo, propter Hominem facta ſunt à Deo Cœlum, & Terra, & quicquid ſub aſpectu cadit: ad eundem modum oportebat propter nouam hanc creaturam, propter hunc Hominem Angelis excellentiorem, condi nobilius quoddam, quam priora, domicilium. Fit ergò, & appellationem, quæ nulli priori loco data eſt, Sanctitatis, in-

quam

Digitized by Google

quam (neque enim inter antiquos erat, qui aptus eſſet officina ſanctitatis haberi) ſacrum illud Templum ſortitur, propter ſanctiſſimum Hominem, Vas immaculatiſſimum, puriſſimum Receptaculum, magnum & ſine labe Theſaurum, candidiſſimam Dei Verbi Matrem. Nam vetus
Pſal.48. Homo, quia, ſicut inquit Propheta, *Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, propterea communem cum brutis habitationem habuit: erat enim & homini, & animalibus terra commune domicilij ſolum, nec vllum extabat habitaculum, quod neceſſariò ſpectaret ſolùm ad Hominem; cæteras verò animantes à communitate repelleret: Quanquam enim Hominibus iam multiplicatis, venerat in mentem deſignare Deo domicilium aliquod, communibus ad incolendum locis ſublimius; tamen maximi huius Templi intuitu Deus præludia huiuſmodi præparabat: Diuina quippe lex eſt, à minimis duci homines ad excelſa: quod euidēter probamus exemplo Legis antiquæ, conſiderantes cuiuſmodi illa fuerit, & cuiuſmodi ſint noua Saluatoris mandata. Et quoniam Homo ille natus

eſt,

eſt, non qui erat Angelis paulò minor, ſed qui illis regio modo, & menſura præſtaret, congruenter & ſacra illa ædes, omnibus, quæ ſuper terram conditæ erant dignior; nec inſtar aliarum, volentibus quibuslibet patens; ſed conſtructa fuit antea verè futuro habitatori reſpondens. Vt hoc verò oſtenderet ſacrum illud Tẽplum in ſua penetralia, ſolam iure vt Dominam ſuam excepit Reginam Deo ſpõſatam: reliquis verò inacceſſum erat. Sicut enim Homo ille ſupra naturæ modũ excellentiſſimus, & factura Deo gratiſſima non communi Hominum more victum habebat; ſed 3 inſolitum è Cœlo Angelus Virgini miniſtrabat alimentum: .3
ita præter modum communem Angelicã dixerit quiſpiam habitationem, aut cœleſtem, aut aliàs diuinam, & ſublimem, terræque minus contiguam, ſi fieri poſſet vt incoleret, iuſta ratio cogebat. Nam, vt mea eſt etiam in hoc opinio; non habuiſſet opus Virgo terrenis parentibus, aut humo, quam pedibus ambulando tereret, aut quauis alia re formata, & exornata è puluere; ſed cœlitus, ſi quærenda eſſet eius origo, ortam agnoſceremus; &

ce-

Digitized by Google

cęleſtia inhabitantem, vtpotè Angelica conditione creatam, & illis excelſiorem. Verùm ne hoc aſſeramus, obſtat quòd ſalutaris modus quærebatur, & vbi locus non eſſet inanibus nugamentis. Nam & Saluator Homo propter me fieri voluit; huiuſmodi verò formam in Cęlis aſſumi non licebat. Quod verò ex eo, quòd cęleſtis illi non fuerit origo, propterea Virgo impotens non ſit, vt malè viſum eſt prauis de ea dogmatiſtis, argumentum eſt conuincens, Mater, quæ Virginem peperit. Illa enim cum puluis fuerit, quippe è terrenis nata, manifeſtiſſimè indicat, pulueris quoque fętum extitiſſe puriſſimam Virginem, quæ à puluere non auolauit; ſed humano more, compedibus, vt ita dicam, & ipſa tenebatur terrenis, vt infima coleret. Quoniam igitur hiſce de cauſis fieri non poterat, vt ſuperior illi eſſet habitatio, qua digniſſimũ erat Beatam frui, non minus Angelo quouis, è terrenis cognatiſque pars ſublimior diuinæ ædis, Sancta, inquam, Sanctorum, iure habitanda Virgini à Deo tributa eſt. Manſiſſet autem vſque ad alium extremumque ingreſſum in Cœlos, arbitror, intra

intra Templi clauſtra; quippè vt locum ſola Virgine dignum, propter quam ſortitus erat & cognomen; atque, vt oſtendimus, officium de nomine, niſi opus fuiſſet nobis quoque viam oſtendi, quam initiauit *in introitu Sanctorum in Nomine Ieſu*, iuxtà diuini Pauli vocem: tũ etiam vt terram omnem, & aerem repurgaret, quæ Dominus paulò poſt per ipſam profectò ſanctificaturus erat perfectiùs. Eſt autem, vt dixi, diuina Lex, vt à ſimplicioribus ad perfectiora procedatur, tum denique vt Ioſepho caſto illi, & ſcienti litteras traderetur hic Liber ſignatus Ioſeph autẽ nec in Adytis morari poterat, nec omninò myſticum illum, & arcanũ Librũ exponere potuiſſet. Has ob cauſas è Templo illo egreſſa eſt; & ſeipſam (ò rem ſummoperè admirandam) Conditori, qui capi nullo loco poteſt, Templum parauit: Ex quo non ſolum Sancta Sanctorum, ſed ſi datur aliud nomen venerationem exprimens maiorem, illo eſſet meritò vocandum inexplicabile hoc Dei Habitaculum. Illud prætereà mihi videtur, Hierarcham, qui ſemel ingrediebatur in Adyta, non æquè ſolitum impleri Ad Hæb. 10

viſione Dei, præſente in ſua Regia vniuerſorum Regina, & quando ipſa non aderat; ſed multo maiore potitum eſſe præſente Domina, quàm abſente. 4. Cũ
4. enim Virgo cunctis hominibus, & Hierarchis vicinior Deo neceſſariò ſit, quantum ne dicere quidem fas eſt, ſublimioribus æqua proportione viſionibus ſuper omnes fruebatur. Qui ergò illam tanto bono fruentem intuebatur, planè ſeipſo melior euadebat, quemadmodum luminibus in editiore loco poſitis, qui præſentes ſunt, maiori luce clariùs vident. Sed paulò altius ordienda eſt Hiſtoria Virginis, vt è ſacro ipſius ortu incipiendo, deducat ordine quodam oratio puriſſimã in ingreſſum ad Sancta Sanctorum. Naſcitur ergò ſacratiſſima hæc Pulchritudo expræſſiſſimè Deum referens, & ſummè Deiforme ſpeculum, diuinitùs micans ſplendor, Deum oblectans iubar, Deum condecens formoſitas, & Sponſa, & Filia Deo reſeruata Maria: & ſterili quidem, & infęcundo vtero, ſed anima fęcundiſſima, fructuumque Deo placentium feraciſſima, fętibuſque diuinis, quorum partu oblectatur Deus, copioſiſſima.
Opor-

Oportebat enim hic etiam illud præire, vt è minori miraculo, parientis, inquam, Annæ, magnum, & omnem tranſcēdens ſenſum, Virginis partus nouitas ederetur; & Filia Matrem adeò ſplendidam, adeo miraculis claram vinceret. Anna etenim illa Mater paulò poſt pulchram edituram prolem, & admirandus Ioachim, à Deo electum, iuſtiſſimumque coniugium, felicitate quidem cunctos quauis alia in re ſuperabant; ſed procreandis liberis erant egenis infeliciores. Hinc aſſiduè manabant è iuſtornm oculis lacrymæ, continuæque preces mittebantur voti ſinceriſſimi, quale Deus non aſpernatur, ſed vt odorem ſuauitatis intuetur; nimirum promiſſio, quauis ſtipulatione certior, quod naſceretur, ſe daturos datori. Sed ò iuſtum votum, alas omnes velocitate tardiores oſtendens, cœlos tranſgrediēs, atque ad Deum confidenter aſcendens, libenterque ab eo ſuſceptum! O corda illa puritatis plena, ob idque Deum videntia, & ab eo ardentium deſideriorum explementum recipientia! O pura labia, propter Deum ſeſe mouentia, ad idque videlicèt facta, vt prædefinitum myſteriū

ad eorum petitionem impleretur! O ſine macula animas, quarum Deus ſtudio captus, conſanguinitatem cum ijs contrahere voluit? Impetrant egregiè, quod petebant; fructumque generant hunc admirabiliſſimum, Orbis vniuerſi decorem, & pulchritudinem, myſticum alimentum, melle ſupra captum dulcius delectamentum; quauis vmbroſa arbore iucundius, & omni florum odore ſuauiſſimo gratius. Decebat enim & illos tanta nobilitate animi præſtantes, tanta iuſtitiæ laude florentes, tanto ardore Deum rebus omnibus præferentes, tanta mentis deiformitate vigentes, non aliam, ſed hanc generare prolem; & ipſam, cuius beatam excellētiam prætermittit oratio, quia non poteſt exprimere, non alios, ſed hos habere parentes. Decebat etiam illius congreſſus, qui concipiendæ Virginis cauſa fuit, primordialem, & antecedentem cauſam non eſſe aliud, quam
5. Dei congreſſum, vt qua fieri poſſet, 5 ſola puriſſima, propheticum quoque illud
Pſal.50. euitare poſſet; *In iniquitatibus conceptus ſum*; poſſetque de ſe ipſa affirmare; *Solam non in peccatis concepit me Mater mea*:

Ni-

Digitized by Google

Nimirum hoc etiam numerando inter illa, quæ dictum illud complectitur, *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Quod quidem parentes ſuo facto oſtenderunt: è congreſſu enim habito cum Deo, deuenerunt ad congreſſum, qui ſuſcipiendæ prolis origo eſt. Optimè igitur & congruenter hoc etiam ad miraculorum eius cumulum acceſſit. Vbi verò in lucem ſuſcepta eſt puella Deo chariſſima, illuſtris, & ipſo illuſtrior lumine, ſine qua neque lumen, neque Cœlum, neq; omnis creatura potens eſt animam verè illuſtrẽ reddere, Deoque dedicare: vbi, inquam, nata eſt tanta Virgo; promiſſum quoque vt ſoluerent, memoria procreatores monebat. Ipſi verò, vt arbitror, illud impleſſent, puellam in Templum, ſimul atque nata eſt, adducentes, ni tempus præripere, viſum eſſet quid abſonum, quemadmodum & Saluator poſtmodum omnia ſuo tempore, & miracula edidit, & ſacrũ exhibuit lauacrum, cuius exemplum materna quoque opera ſequi debebant, licet illo priora hæc fuerint. Viſum quippe fuiſſet prodigioſum nimis, puellam nondum ablactatam, nondum expertã fandi, Luc.1.

& audiendi vſum, in illa penetralia duci. Vel certè, vt quidam nobis antiquior dixit, triennium ſeruabatur ad ingreſſum Virginis in adyta, vt futurum præſignaretur, quod ſola inaceſſum, & incompræhenſibilem vnum S. Trinitatis, modo ſtupendiſſimo paritura eſſet; ſuper omnes Sanctos futura manſio, & ſummè venerandum Domicilium totius Sacroſãctę Trinitatis. Vt verò domi maneret, quia Virgo vberibus indigeret, non erat neceſſarium; Sicut enim cum trimula eſſet, in ſacro illo diuerſorio degens humana menſa non alebatur, ſed arcano modo, vt ſupercœleſtis cœleſti cibo veſcebatur; ita licet adhuc lactis indiga ducta fuiſſet ad inhabitanda Templi intima, pari miraculo ſuſtentata eſſet, modo quodam ſupernaturali, & ineffabili. Vel ergo ita factũ eſt ob eam, quam dixi, cauſam; vel quia par erat, vt parentes, ad tempus ſaltem, fruerentur infantili venuſtate natæ, quæ paulò poſt abdicanda erat, Deoque iungenda, & chariſſimis non conſpicienda parentibus; qui cum ex ea ſummam poſſent capere voluptatem, dolorem ferre voluerunt, proque laboribus illis, & iu-
giter

giter manantibus lacrymis, pręmiū hanc habuerunt: pro quibus tot, inquam, illis laboribus, dignam hanc Deus iudicauit vicem, vt ad triennium ſplendidiſſimæ Filiæ ſuauitate fruerentur. Quantam enim alij voluptatem capiunt è ſpecioſiſſimis filijs per multorum annorum curriculū, Virgo Parentibus ſuis attulit triennij ſpatio: dixerim verò copioſiorem, & maiorem, quantò natis omnibus illa excellit: Qui enim maiores ſunt, gratiam munificè referunt, & magnitudini referentium reſpondet gratia. Cum verò illi eſſent, & vocarentur iuſti, trutinam cognominis tranſgredi non debebant. Idcircò iuſtum temporis modum aſſecuti, hoc eſt triennium, ſoluendi etiam promiſſi curam rectè ſuſceperunt. Quoniam verò nō multò poſt, fama Reginæ, Deoque adamatæ Puellæ peruagatura erat vniuerſum Orbem, ante alias Regiones Hieroſolyma laudationem nectit, ſacrumque Hymnū Virgini concinit, decenterq; modulatur, idque iure optimo: Nam & Ieſum meum *tulerunt*, inquit, *in Hieruſalem, vt ſiſterent Domino*, cuius vtique notas Mater in ſe præferebat. Quotquot ergo nobiliores Luc. 2.

Ciuitatem illam incolebant Viri, & Mulieres, & Puellæ Virgines, tàm Patris, quàm intuitu Matris, atque etiam ipſius celebratiſſimæ conuenientes, deducebāt Puriſſimam euntem in Templum, præferentes cereos, modulos lingua in eam cantantes, & cantica cum lætitia offerentes; quod ſcilicèt par erat, in diuinæ Spōſæ laudem agentes. De ijs arbitror olim fuiſſe prænunciatam illam beatitudinem;
Pſal.88. *Beatus populus, qui ſcit iubilationem.* Per hæc quoque exordia, quod futurum erat præſignabant, quòd lux animatæ huius lampadis effulgens, omnem facem eſſet obſcuratura, animaſq; eam Hymnis celebrantes, & ſalutaria concinentes Cāticis repletura. Exiſtimo ſanè vniuerſam Angelorum multitudinem, ſuos tunc coniunxiſſe cantus cum præferentibus cereos, ſimulque acclamaſſe, & deducentes comitatam eſſe; quanta illi, quæ deducebatur, debita eſſet reuerentia oſtendentes, nimirum mortalibus, qui corpuſculo hoc, veluti nube, interſeptum oculum habentes, videre non poterant vniuerſorum Reginæ ſplendorem; niſi etiam Angelos latuiſſe dicamus hoc myſterium,

ita

Digitized by Google

ita diuina diſponente prouidentia, quæ me ſaluum fecit, atque è fędifica Tyranni manu eripuit. Ducitur ergo in Templũ, ita, vt diximus, ſacratiſſimũ illud animatum vas, Deificis fulgoribus excipiendis receptaculum à Deo confectum, honorabiliſſimum, diuinumque Donarium, cuius exprimendæ dignitati impar eſt vniuerſa creatura. Pontifex autem ex ijs, quæ tunc videbantur, noua, & inſueta; diuina quoque intus, vt puto, pluſquam antea, vel poſt, ad dignoſcendum luce illuſtratus, aduentum Sponſæ diuinæ ſentiens, nullum non Templi locum Virgini peruium fecit, & inhabitanda illi, vt ſeſe digniora vel Adyta ipſa decernebat. Ex quo etiam patet, magna illum plane lætitia fuiſſe perfuſum, proſpicientem quantum gaudium eſſet allatura Orbi vniuerſo, quæ recens in Templum adducta erat. Et credendum eſt ea de Puriſſima pronunciaſſe, quæ innocens multitudo poſtea Creatori declamauit: Benedicta Regina, quæ *venit in nomine Domini: Pax in Cœlo, & gloria in Altiſſimis*: Quin & lætiſſimam illam Sophoniæ videntis vocem addidiſſe: *Lætare nimis filia Sion*;

Io. 12.
Luc. 2.
Sophon. 3.

per

per quam Creator & nunc quidem gaudet, te iam ſibi domum ſplendidiſſimam videns elegantiſſimè conſurgere,& compaginari ad inhabitandum : gaudebit verò vehementiùs, quando vt oſtendat ſuũ de te inhabitanda gaudium, gaudium tibi per Angelum nunciantẽ mittet: propter quam & mentes Angelicæ gaudebũt, & Homines exultabunt, & omnis creatura ſplendeſcet. Adieciſſe præterea opportunè, quod poſtea dixit Simeon, qui Deum excepit Saluatorem, cenſendus eſt Hierarcha, qui Dei Matrem excepit: *Nũc viderunt oculi mei ſalutare, quod paratum erat ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Iſrael*. Ad hæc etiam addidiſſe illud de Domino per ſacrum Iſaiam : Nunc, ò
Luc. 3. Puella, per te *Omnis caro videbit ſalutare Dei*. Ingredere igitur confidenter in Templum ſanctum tuum; Hoc diuerſorium, inquam, verè tuum, omnium con-
Pſal. 44. ditione ſublimius: *Et obliuiſcere domum patris tui, quia Rex concupiuit ſpeciem tuã*. Et nũc ego quidem tibi vni Fores omnes Templi huius aperio, permittoque, vt liberè quocunque placet, penetralia ſubeas.

beas. Tu verò vni Creatori fores tui cordis reſeruabis, parabiſque intus domicilium, in quo liberè ſpatietur; nam in te vna ſibi habitationem elegit, & vnam è cunctis filiabus Sion delegit. Nunc etſi nouum, & inſolitum eſt, quod omnis Tẽpli ianua tibi pateat; maius tamen quid de te Deus in altis cogitat, & cœleſtes tibi portas tolli iubet, vt ad illum ipſum inacceſſibilem peruenias obſiſtente nemine, efficiaſque, vt is propter tuam pulchritudinem appareat in terra, quam ſuo fulgore faciat Sole ſplendidiorem. Do tibi nunc, *vt inhabites in Domo Domini in longitudinem dierum*, vt ait Pſalmiſta, quo ſemel in anno per legem ingredi licet Pontifici. Tu verò non multò poſt magnum Pontificem Chriſtum habebis intra viſcera, diuque illum geſtabis. Abi igitur Filia in Sancta Sanctorum, quæ Sanctorum omnium ſanctiſſimum es ſuſceptura, ſanctificabiſque omnia. Accede Regina, non dedignata hanc tuam illuſtrem Regiam, quæ Regi Vniuerſorum perſuadebis, vt regiam gratiarum copiã largiatur terreſtribus. His verbis vbi præbuiſſet aurem Deo chariſſima Puella,

Pſal. 22.

quaſi

Digitized by Google

quaſi obſequentem ſe exhibens, ſenſim auulſa è cętu nobilium illarum puellarũ, quæ cereos ferentes circumſtabãt; vultu, & habitu, & ſenſu graui, tota venuſtiſſima, libenter adit Pontificem; exultantis geſtu præhendit, motibus, & infantilibus verbis, quibus poterat, aſſentiri ſe illi oſtendit; poſthabitiſque Parentibus, & domeſticis commodis, in Sanctis Sanctorum alacriter ſe habituram declarat:
Pſal. 42. *Introibo*, inquit Dauidicè, *ad Altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam; quoniam tu es ſpes mea ab vberibus Matris meæ; in te proiecta ſum ex vtero Matris meæ, Deus meus es tu*. Subit ergò in Adyta Templi ſola, relictis parentibus, & vſu paternæ Domus, quo abſtinere ne illi quidem valent, qui ætate prouecta ſunt, adhuc trimula puella. In quo ſanè vix exprimi poteſt magnitudo miraculi, ſi quis recogitet, qua ætate, quibus, vt infans opus habens, quæ ſibi maluerit. Ibi igitur ſecundum Euangelij voces, hæc etiã
Luc. 2. puella *creſcebat, & confortabatur ſpiritu, replebaturque ſapientia, & gratia Dei erat in illa*: Atque vt illud etiam addam; *Proficiebat ſapientia, & ætate, & gra-*

tia apud Deum, & homines. In vnam ipsã congruenter dici poſſet, quod poſtmodũ Saluator dixit: *Sinite paruulos venire ad me, & ne probibueritis eos; talium eſt enim Regnum Cœlorum*. Huius porrò etiam ingreſſus nouitas implenda erat in Virgine, vt reſponderet tũ admirabili eius ortui, tùm ijs, quæ admirabiliùs in ea patrãda erant: vt ab initio, vſque ad finem, admiranda ſint omnia; ſed quæ poſteriora fuere, ſint in ea ſublimiora prioribus. Orta enim eſt inuſitatiori quodam modo quàm cæteri homines. Illud verò admirabilius, & nulli Virginum conceſſum, quod in Templum acceſſerit trimula. At verò ingreſſus in Adyta, cuinam, vt ſublimiori, miraculo dat locum? Omnibus certè hoc eſt excellentius, ſi tantum excipias, quæ deinceps in ea peracta ſunt, à quibus ſeſe deuictum non ægrè fert. Videtur tamen hoc mihi fundamentum, & radix poſteriorum, atque ſublimium: & ſi quis illud ita vocaret, à re ipſa non aberraret. Namque ſublimius, aut in ea, aut in quauis alia factum nihil eſt, quàm quod ex ipſa Deus naturã noſtram ſuſcepit. Vt verò ad hoc Virgo eſſet idonea, Matth. 19.

inde

inde habuit. Dum enim commoraretur in Templi Adytis, quia puriſſimæ nihil humanum erat obuium, ad quod ſe conformaret, ſed vnus illi Deus ſemper in animo verſabatur, ſolumque Deum
a. 48. alloquebatur, *Et meditatio cordis eius*, vt Dauidicè loquar, *in conſpectu eius erat ſemper*, ciboque vnà diuinitus miſſo alebatur; ad ſimilitudinem quoque Dei ſupra omnes, & Homines, & Angelos, forma peruenit, illi vni, quantum fas erat, expreſsè facta ſimilis, quicum aſſiduè colloquium habebat, quique ſibi ferè notus erat: Quocirca ſuum conſpicatus Creator opus tam ſublime, tàm diuina formoſitate dilucens; non eſt ratus indignum & ipſe creaturæ formam induere, ſciens opus eſſe Iuſtitiæ, imò, vt aptiùs loquar, Benignitatis, illi, quæ quantùm fas fuit, eò celſitudinis aſcendit, vt propè illum accederet largiri, vt ipſe deſcēderet, & imaginem eius aſſumeret, & cætera vitæ commercia ſimul haberet. Ita per Virginem factum eſt, vt propter eius ad Deum ſimilitudinem, Deus ex ipſa nobis ſit factus ſimilis. Quamquam enim tantæ puritatis erat Virgo, 7. vt vbi-

cun-

cunque eſſet, ſtatim locum efficeret Sancta Sanctorum, parumque aut nihil opus eſſet, ſeceſſus, & loci commoditas; dici tamen non poteſt, è ſecretiori illo, & procul ab humana conſuetudine poſito loco, non proueniſſe illi, quòd altiús ad Deum accederet, cum & Saluator ipſe, dum fuit in terra, ſeceſſione oblectatus ſit, & monte, vt oraret, & cum Deo Patre ſermocinaretur. Verè igitur illa penetralia dederunt Beatæ, vt ancillas etiã prudenter tractaret; venerandos, inquã, ſuos ſenſus, quibus, vt diuinus ait Lucas, *Daret tritici menſuram in tempore.* Tritici porrò menſura, vt mihi videtur, conſideratio, & circumſpectio fuerit, ſingulis motibus opportunè attributa. Luc. 12. Cum ergò adeò prudenter, & excellenter Virgo fuiſſet diſpenſatrix, Domina conſtituta eſt ſupra omnia, quæ poſſidet Deus. Ad hoc enim ſpectare puto Saluatoris verba; *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det in tempore tritici mẽſuram? Beatus ille ſeruus, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit ita facientẽ. Verè dico vobis, quoniam ſupra omnia,* Luc. 12.

quæ

*quæ poſſidet,conſtituet illum.*De Virgine
etiam prædictum à Dauide mihi videtur:
Pſal. 4. *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe con-
ſtituiſti me.* Illa quippe ſolitaria commo-
ratio Virgini cauſa extitit aſſequendi ſpẽ
veram; & ibi, vt mihi perſuadeo, pote-
rat Virgo illud propheticum vſurpare:
Pſal.17. *Exaudiuit de Templo ſancto ſuo vocem
meam, & clamor meus in conſpectu eius in-
troibit in aures eius.* Ego verò & myſticã,
ſecretiſſimamque illam Virginis in ſacra-
rio manſionem, Saluatoris & Filij eius
referre imaginem arbitror. Sicut enim
Dominus, vt Homo ex ea, verſabatur, &
videbatur ab Hominibus: verùm vt Deus
nec videbatur, nec vllum ipſi erat com-
mercium cum Hominibus: ita etiam,
quæ magnalia Potentis experta eſt, &
videbatur, & non videbatur. Nempe
vt ex Hominibus nata, et noſtri generis,
per triennium viſa eſt multis, et egreſſa
è Templo vſque ad migrationem in Cœ-
los: vt verò nobis excelſior ob virtutem,
et nouam animæ pulchritudinem, atque,
8. vt ita dicam, 8. veluti terreſtris Deus,
multorum fugit aſpectum, non modico
tempore locum habitans inuium, et ſolũ
ſa-

Digitized by Google

ſacratum, vt quod in ſe præſignauit; viſa, & non viſa, vt dixi, eſſet 9. expreſ- 6.
ſa Imago nati ex ea Dei inuiſibilis, & viſibilis. Et quod Sacrarium patuiſſet Virgini, & Angelus è Cœlo veniens, cœnam miris modis appararet, illud mihi prænotare indicat Cœlum poſtea aperiendum, deſcenſurumque corporali ſpecie Spiritum Sanctum, Domino in Iordane ſacrum ſuſcipiente lauacrum: Nam ſicut, excepta Virgine, nulli vnquam Hominum fuerunt peruia Adyta; ita vni Saluatori Cœlum ſe nudum exhibuit. Quod autem à Pontifice ſolo, ſemel adeunte intima Templi, conſpiceretur Virgo, fecit vt illa non modicum hinc etiam accederet ad Diuinam ſimilitudinem: Sicut enim ſolis Hominibus ſacris datum eſt Deum, quantum fas eſt, intueri, nec id tamen ſemper, ſed quando ſegregati à multiformi, & obſcura multitudine, ſibi tantum vacant, quoad poſſint, aptique fiant ad ſcrutanda diuina, & ſublimia, multiſque inacceſſa: Sic, vt Virginis ad Deum ſimilitudo in hoc monſtraretur, & Deum tulit (ò ſtupendum miraculum) & ſemel aſpectabilis

D Pon-

Pontifici ſoli erat. Sed neque dum ipſa videretur, poterat qui videbat, totam eius intelligere excellentiam. Sicut enim cui Deum videre conceſſum eſt, non quicquid in Deo eſt, ille cognouit; ita qui videbat Virginem, non propterea capiebat mente totam eius altitudinem. Ita ſe Virgo diuinis, vt ita dicam, depinxerat coloribus, ita ſecundum voces Dauidis; *Signatum erat ſuper eam lumen vul-* Pſa. 4.
19 *tus Domini*, 10. vt in ſe exprimeret effigiem deiformem. Dico autem prærogatiuas eius nec percipi animo, nec dici ferè verbis poſſe, cum ad ipſum Deum accedant, non tamen Deo parem efficiant: vt ſi nobiſcum conferatur ob nimiam virtutis eminentiam Virgo Deus vocanda ſit. Si verò conferatur cum Deo, ſit quod eſt, ſcilicèt Homo; creatura tamen omni, quemadmodum dixi, ſuperior, & ſola planè potens euehere Homines ad Dei gloriam, pluſquam vniuerſa creatura. Nam ſi Angeli, Cœlum, & Sol, aut multitudo Stellarum, Terra, & Mare, & omne plantarum mira varietate genus, hæc, inquam, omnia non fuiſſent ab initio producta, nihil minus, quàm nunc poſ-

poſſint, potuiſſent Homines de Deo ſen-
tire, vna apparente incomparabili Virgi-
ne. Et potiores quidem creaturæ, ipſæ
quidem per ſe illuſtres, non modicam
admirationis vocem emittunt; ſed ſi cõ-
ferantur cum Virgine, quę cõmunem om-
nium Regem enixa eſt, cunctiſque fuit
cauſa ſummæ vtilitatis; perſpici non po-
teſt, quam longè ſint inferiores. Qui ve-
rò creaturæ fuerit longè ſublimioris opi-
fex, non neceſſe habet, vt laudetur, in-
feriorem quoque creaturam condere.
Potenti enim fabricare magna, non eſt
qui neget poſſe minima facere. Sufficie-
bat ergò vna Virgo puriſſima, vt diximus,
ſine vlla alia creatura, ad prædicandã Dei
magnificam gloriam, perinde ac ſi adeſ-
ſent, & cætera omnia. Cæterùm illa etiã
producta dixerim ea de cauſa, vt tot tan-
tiſque creaturis perſpiceretur, quàm ſit
illa præſtantior. Ad hæc etiam, vt per il-
lam Deus haberet, in quæ copioſius ſuam
bonitatem effunderet; quę quidem ea eſt,
vnde omnis creatura pendet: ſed per Vir-
ginem habet quicquid decori eſt, & præ-
cipui. Ita 11. ſanè Virgo eſt miraculorũ 11
miraculum, & excepto Deo, nihil illa

magnificentius.Quare ſi nec illud eſt mo-
dicè admirandum, quod modò nobis ad-
mirationẽ mouit; illa,inquã, ætate nouus
Virginis ingreſſus in Adyta,mihi certè nõ
adeò mirandum videtur,ac ſi omninò fa-
ctum non eſſet. Non enim debemus mi-
rari,ſi maxima efficiat,qui potens eſt; ſed
contrà, ſi cum poſſit admiranda edere,
qui potens eſt, communi tamen, ac trita
gradiatur via. Cœterùm, quia quicquid
de ea dixerimus Homines,nũquã dignos
plauſus tribuemus, & in rebus maximis
quandoq; ſilentium admirationis indiciũ
eſt, nobis quoq; modo ſilentium ample-
ctendum eſt,quandoquidem ea, quæ lau-
datur,omni admiratione maior eſt.Vtinã
nobis contingat & loqui de ea, & tacere,
quando id ſatius eſt, adiuuante gratia ip-
12 ſius omni ſuperioris laude; 12 quam vt
ancoram animæ tutam habemus, ac fir-
mam, iuxtà B. Paulum, & incedentem
vſque ad interiora velaminis vbi Præ-
curſor pro nobis introiuit Ieſus, cui po-
teſtas, & adoratio cum Patre, & San-
cto Spiritu per infinita ſæculorum
ſæcula. Amen.

Eiuſ.

Digitized by Google

Eiuſdem Iſidori Theſſalonicenſis In Annunciationẽ glorioſiſſimæ, & gratia-pleniſſimæ Dominæ Noſtræ, Dei Genitricis, ac ſemper Virginis Mariæ.

ORATIO III.

LAETENTVR Cæli, & exultet terra, Plaudant Angeli, & Homines exultent; denique creatura omnis hodie fiat hilaritate iucundior, quod omnium Conditor, vniuerſam mundi molem, gaudens ipſe, nunc replet gaudio. Nunc ſibi reconciliat, quæ inimica erant. Nunc ſoluit ortam è peccato mæſtitiam. Nunc inſtar noui aeris diffundit cunctis lætitiam. Nunc mundi finibus ſpargit ſolari radio clariorem voluptatem. Nunc *Salutis veſtimento induit nos, & indumento lætitiæ circumdedit nos*, iuxta diuinitus miſſam

Pſal. 95.

Eſaiæ 61.

Iſaiæ vocem : & lacrymoſis vtens vocibus Hieremias , nunc palinodiam nectens , opportunè dicet, tanquam Deo loquẽte:
Hiere. 36. *Propitius ero iniquitatibus hominũ , & peccata eorum non recordabor amplius*. Nunc Cœli pulchritudo , & lucida Stellarum Cohors non tàm vehementer oblectant , vt hodiernus ſplendor : Nũc ſanè tempus
Luc. 2. dicendi ; *Gloria in Excelſis Deo , & in terra pax Hominibus bonæ voluntate* . Nam qui Cœlum, terramque, & Solem condidit olim, cæteraſq; magnificas creaturas ; nunc quod, vt ita dicam , creatæ res dilapſæ ſunt , nec manſerunt in eo ; quod factæ ſunt, lætitiam condit ; & quemad-
Gen. 1. modum dixit ; *Fiat lux ; & facta eſt lux* ; eodemque modo rerum omnium conditarum genera communi nexu colligata produxit : ita nunc per Angelum Virgini *Aue*, dixit : Per hoc ; *Aue* , nunc quodammodò creans, & compræhendere volens vniuerſam creaturam, cuius venuſtatem, & optimè contextum opificium aureum, vt ſenſu percipiant qui mentem adijciunt, huius gaudij efficit ſenſus : Nã qui aſſiduè mala patitur, & mœrore conficitur, minus idoneus eſt ad explorandã pul-

Digitized by Google

ſpulchritudinem, & miracula naturæ. Quarè, ſi *Aue* hoc non eſſet allatum, effſlueret ſine vllo præconio totius creationis hilaritas. Sed quia benignitas Domini non ferebat, vt melior pars, hoc eſt, gaudium deeſſet infelicitèr agenti creaturæ; idcircò nunc gaudium creat, quod ſanè libenter voluiſſet antea ſeſe rebus intermixtum eſſe, ſed vas aptum non reperiebat, vt datum ſeruare poſſet, & in alios transfundere. Nunc verò, vbi vaſtiſſimum, & vires naturæ ſuperans apparuit Receptaculum, Virgo, inquam, nō intermiſſis celeberrima laudibus; nunciatur illi Aue, & Salutatione hac ferè oſtenditur, naturam reperiſſe, quod cupiebat; quemadmodum & nos hac Salutatione vtimur, cum incidimus in amicos. Hæc porrò vox rebus antea creatis, veluti quandam aliam adiunxit naturam, hoc eſt gaudium; propterea creator gaudium creans hodie gaudet. Quidni enim? Cū & qui vnguentum conficit, conficiendo perfundatur odore. Gaudet verò & vniuerſa creatura, effuſum in ſe ſuſcipiens gaudium, vti fragrantiſſimum vnguentū. Nulla res igitur hodie gaudio deſtituitur.

Verùm vt clarius fiat hoc, ob alias quoq; rationes, non abſurdè verò propter eam, quam diximus, certum eſt Deum gaudere; gaudere quoq; Angelos lætitiæ creatæ miniſtros. Homines etiam gaudent, quoniam ad excipiendum nouum hoc gaudium, non opus fuit Deo, ſolari globo, non cęleſti Fornice, non Angelica natura, non alia quauis re; ſed ſola Virginea, & puriſſima domo, eandem, quam & Homines, naturam habente. Non abſonum eſt reliquam quoque materialem creaturam gaudere propter ſuum Dominum, Hominem, inquam; nam illius cauſa gaudium ſentiens, vt ita dicam, ſupercilij męrorem & illa deponit. *Montes enim, & colles*, dixit admirandus Iſaias, *& omnia ligna agri plaudent manu*: Et ſi vt B. Paulus ait, *omnis creatura congemiſcit*; Neceſſe eſt gaudentibus quoque congaudeat, quoniam & corruptioni ſubiecta fuit propter Hominem: ergo *& à ſeruitute corruptionis liberabitur*, iuxta eundem Apoſtolum, nobis, *Propter quos nūc creatura patitur*, ſublimia iam adeptis.

Eſa. 55.

Ad Rom. 8

I. 1. Sunt igitur omnia hodie reuera plena gaudij, repleta exultatione, hilaritate

ſul-

fulgentia, omni ſplendore, & decore nitentia. Quòd ſi rebus omnibus gaudio exultantibus, ne propè quidem accedit ad gaudium nequitiæ opifex; non eſt mirandum: ſpontè enim ille mutatus in tenebras, non euitauit ſpontè prauitatem, & ſplendorem non quæſiuit; ſed manſit ærumnis fruens, in quas lapſus eſt: in rebus autem mente præditis, non eſt rationi conſonum, vt quæ ſpontè abiecerunt, non ſpontè recuperent: Quæ enim quis reſpuit, non licet ea reſumere. Aduocari ergò ad communem lætitiam, qua non oblectaretur, Apoſtata, & cui nullum præbuiſſet aſſenſum, non erat conſentaneum: eſſet enim perinde, quaſi ſi quis porcum cęno gaudentem duceret ad florum ſuauitatem: nam & ipſi moleſtus eſſet, à rebus ſibi gratis abducto, & pratorum decus afficeret iniuria. Idcircò rerũ commuui gaudio excluſus eſt, vt qui renuebat, quique ſi vocatus etiam fuiſſet, ad inferendas inſuper iniurias affuiſſet: ſed *in iudicium magni diei vinculis æternis* Iudæ ep. a. *ſub caligine reſeruatus eſt*, vt Iudas Apo- 6. ſtolus ait, *& in ignem paratum*, vt docemur in Euangelio. Qui enim per minas, Matth. 25

aut

aut vocationem corriguntur, quoad eius fieri poſſit, in vtroque, aut altero, hi ſemper Deo curæ ſunt. Quibus autem nulla inde prouenit reſipiſcentia, pernicies a Iudice irrogatur. Horum vtriuſque teſtes Niniuitæ, & Sodomitæ. Præterea non debebat iure cum vniuerſitate rerũ adnumerari, qui defecit ab eo, cuius natura eſt beatitudo, & lux; quique in tenebris abijt, & datam ſibi naturæ vi, mentis facultatem, inſumit in id, quod nihil
2. eſt, vt quodam loco etiam dixit 2. mirabilis Maximus: Sicuti quod illuminante caret, lucidum non eſt; nec viuens, quod à principio vitæ ſeiunctum eſt: quam ego ob cauſam, arbitror poſt illum Apoſtatæ
Gen. 1. caſum, à Deo, *valdè bona*, omnia eſſe vocata; quod à cætu bonorum omnium auulſus eſſet auctor malorum, & mortuus quodammodo, vel potius corruptus, proinde inter creaturas non recenſitus. Ex ijs ergo, quæ iam ante diximus, quod vniuerſalis gaudij ſolus malignus expers eſſet, & ex ijs, quæ dicentur, cauſam hanc perſpiciet, qui animũ aduertit, cur Deus lapſum hominem reſtituerit; Tyrannum autem non erexerit. Siquidem Adam, &

quæ

quæ data ſuit illi in adiutorium, à ſeipſis malum non excogitarunt; neque iam imprudenter lapſi, inuidiæ telum contorſerunt in alios. Ad hæc, ſe abſconderũt, quod index erat luctus eorum propter errorem, & calamitatem; pudebat enim illos nuditatis: proinde ſe ipſos, quaſi è medio tollere adnitebantur, dolẽtes plurimum dum cogitarent, quo è ſtatu, in quem ſtatum, vt è loco honeſtiſſimo in turpiſſimum, ſpontè decidiſſent. At mali auctor nequitiam primus audacter excogitauit, & nullo priori exemplo, cum multa potius bonorum exempla ſuppeterent; quippe res omnes, ſententiam, quam de ipſis tulerat Conditor, in ſe demonſtrabant: alijs quoque poculum peruerſitatis propinauit. Nec ſat illi fuit, vt vnum, aut duos, aut etiam centum præcipitatos necaret; ſed ſi fieri potuiſſet, vno caſu omnes homines interire, Deoque orbari, & in gehennam detrudi, non ſufficere prauitati ſuæ perfidus putaſſet: ſed ærumnæ cumulus fuiſſet illi voluptas, & ſolatium; quod etiam reipſa, quantũ in ipſo erat, contigiſſet, niſi Deus furorem eius in nos, repreſſiſſet, perpe-

tuam

Digitized by Google

tuam in nos prouidentiam ſuam impendens. Deindè hæc agens, nullo pudore ſuffunditur, nec miſericordiæ verba cogitat, nec venit illi in mentem, ob ea, quæ agit pluſquam execranda, & deteſtanda, latebras quærere; ſed petulanter proſilit, & facinoribus gaudet, & moliendo machinationes ſeſe effert, & impudēter probos quærit, quod etiam Hiſtoria Iob declarat. Quapropter Homo, cum nec inuētor mali, nec alijs malorum auctor fuerit; ſed vtpotè paſſus ipſe, & lugens, dignus erat, cui miſericordia impēderetur, & impenſa eſt: re enim, & ſi non verbis, miſericordiam implorabat: quod enim abſconderetur, fatentis erat, magnum à ſe commiſſum piaculum, vt nec vocem emittere auderet, vel ſeipſum coram ſiſtere. At maligniſſimo hoſti, qui peſſima excogitauit, & in ſeipſum, alioſque molitus eſt, deque furore ſuo nihil imminuit, ſed morbum amplexatur, & Medicum aſpernatur, & miſericordiam auerſatur, quænam curatio poteſt obtingere, qui & medicamenta alijs, ſua putat eſſe ſupplicia?

Matt. 8.

Quid enim, inquit, *mihi, & tibi Ieſu? veniſti ante tempus torquere me:* Cum inie-

ctum

ctum à ſe morbũ expelli videret. Deinde miſſum faciens Saluatorem, cum depulſus cogeretur quærere florida ad inhabitandum loca, vel aliud quippiam afferens hilaritatem; ille ſibi illuſtre domicilium, porcos elegit. Adeò porcinus totus, & lutulentus euaſit infeliciſſimus. Et ſemper quidem mala effodiẽdo oblectatur; vt verò ſurſum reſpiciat, & ſanctitatem recuperet, nunquam illi cura fuit: quarè iacet infeliciter ægrotans, decorem ſuum exiſtimans prauitatem, & medelam oblatam auerſatur ſuperbus. Non ita nos lapſi; ſed accepto vulnere, benigniſſimũ ſæpè inuocamus Medicum, eumque aduenisse videntes, vt ſerui ſuſcepimus Dominum; & omnia nobis optauimus fieri, quæ Saluator cogitauit. Quod quidem Immaculatiſſimæ Virginis verba planum faciunt; *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi* Luc.1.
ſecundum verbum tuum. Cuius virtus, trophœum hoc magnum, ideſt noſtram ſalutem erexit. Nam quia nos voluptas cæpit; & fugientes (hei mihi) à Deo benefactore, adhæſimus maligno ſerpenti, redacti in miſeram ſeruitutem, & voluntati obtemperantes fugitiui, & ad mala

om-

omnia ſeductoris conſilio vtentes, eiuſq; poteſtati ſubiecti, ex quo libidinis æſtus erupit, & mixtura iniquitatis effuſa eſt, & iniuſtitiæ turbo fines terræ quaſſauit. Deus verò proſpiciebat è Cœlo, quærens ſi quis in terra eſſet ipſi gratus, & ad expellendum errorem illum, ſoluendoſque è vinculis homines, videretur aptus, nec inueniebatur quiſquam, vel vſque ad vnũ, eò quod omnes iacerent inutiles, & veneno ſerpentis eſſent infecti. Poſt multas verò ætates, vbi Puriſſima, ſimulachrum
Abac.3. illud altius natura editum eſt, *cuius virtus*, vt propheticè loquar, *cœlos quoq; operuit*, cuius etiam ſplendore terra repleta eſt, vt tenebræ, quibus terra offuſcabatur tenues ad radium fierent, qui illuxit è fulgore Virgineo: poſtquam hæc ita fieri contigit, prodigioſa Deus operatur per Virginem, & ſoluit quidem vinctos è Tyranni manibus; & è ſeruis Dominos, cuius olim mancipia erant, conſtituit: procella, & tenebris liberat mortalium genus, &
Ad Philip. 4. pacem largitur, *Quæ exuperat omnem ſenſum*, hoſteſque ſuos efficit Deiformes: Tàm ſplendidè Virgo eluxit, tam inopinata luce homines perfudit. Arbitror

etiam

etiam, quia ſtandum erat contra ſummū nequitiæ cumulum, idcirco poſt multa temporum curricula fuiſſe Virginem reſeruatam, vt virtutis exuberantia per improbitatis copiam innoteſceret; quod cum tanta eſſet, illam deuicit, tam multarum generationum, tam variam & multiplicem, atque adeò ſummæ impietatis, eò quòd longa tempora incrementum ſemper nouum dederint vitioſitati. Quòd ſi hæc naſcitura non eſſet; iam olim non diu poſt Adæ lapſum, fuiſſet, puto, de reſtitutione humani generis agitatum, alia quidem virtute, ſed fortaſſe non magna. Bonitas quippe diuina, propter quam ſunt omnia, ſi non proſpexiſſet futurum poſtea vas, quod magna præſtaret, qualia præſtitit Virgo, non paſſa eſset perire nobiliſſimum creaturarum Hominē, & opus verè admirandum. Et ſi Deus non ſtatuiſſet antea terram ſibi ſore pedibus terendam, per ipſam, nunquam terra Hominem tuliſset, nimirum Virginē, quæ ſupergreſsa eſt Seraphim. Quòd ſi Deus hoc etiam miraculum edidiſset, certè illa non diu cum hominibus verſata manſiſset, cuius ſenſus cum ſenſu hominum

num nihil commune habebat: ſed creata ſolum à Deo è terra, vt ijs etiam, qui non trahunt è terra originem, ſublimior appareret; euolaſset ſtatim eum in locum, qui ſibi congrueret. Sed quia ingentem mali vim extinctura erat, & ſuſceptura deſcendentem in terras Deum, & complexura eum, qui non comprehenditur, & homines illi conciliatura; idcircò ſera temporum ætas glorioſiſſimam Virginē tulit, & rem illam omnium ſplendidiſſimam, et precioſiſſimam tellus portauit, ſperans fore, vt per ipſam precioſius quoque ſuſciperet. Poſtquam verò illam in ſe habuit, cum aliter non poſset oſtēdere, qua eam reuerentia proſequeretur; eximium ſui locum ad inhabitandum attribuit, nimirum Sancta Sanctorum, eorūq; partem auguſtiſſimam. Ad alimentum verò illi præbere terrenos fructus nefas exiſtimauit; puriſſimam hanc eſse ratam illum vnum Hominem, de quo Propheta quoque edoctus eſt, quod *panem Angelorum manducarit*, et ad implendum per Angelos hoc officium Cœlo ceſſit. Oportebat enim paulò poſt Angelico miniſterio felicem altioris myſterij nuncium

Pſal. 77.

affer-

afferri; ſicut planè docent apertè verba hæc: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam Viro, cui nomen erat* Luc.
Ioſeph de domo David, & nomen Virginis Maria; Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Maiores creaturæ Dei Matri debitum, vt Reginæ, reddebant obſequium; quòd myſterij vltra vires naturæ miniſtra futura eſſet. Terra magnificentiſſimum domicilium; Cœlũ dabat alimentum; Angelus erat promuſcondus alimenti, qui nunc appellationẽ quoque ſuam, ſi quando aliàs, ornatiſſimam oſtendit; bonorum enim huiuſmodi nunquam extiterat nuntius. Verum à Deo miſſus dicitur Angelus; & hoc innuit, antiquis contraria eſſe præſentia: non enim ſponte ad Virginem Angelus, ſicut ad primam parentem malignus, acceſſit: nec hortatur, vt leges Dei conculcentur; ſed & miſſus eſt; & diuinæ volũtatis mandata exequebatur. Miſſus verò eſt, vt functione hac, ſeipſo illuſtrior fieret: alioquin principium de principio nõ indiguiſſet minori, vt colloquium haberetur: ſed ipſe Deus Verbum, per ſe ip-

Digitized by Google

ſum ſalutaſſet illam, è qua ortus eſt, habens omnem plenitudinem Diuinitatis. At dicat quiſpiam; ſi conſilium erat, vt illuſtrior fieret qui mittebatur, cumulandus erat hoc beneficio maior, non Gabriel, vt in minores etiam diffunderetur hic ſplendor. Quid ergò dicendum ad hoc? Quod Virgo pluſquam hymnis celebranda, quia in hanc vitam producta eſt, vt inferiora Deo coniungeret, ſcalarum inſtar vſa eſt vniuerſitate rerum, ad aſcendendum: & cum tellus ipſi eſſet graduum primus, cui Cœlum eſſe debebat progreſſionis initium, vel ſi quid Cœlo ſublimius eſt; Ipſa enim fuit Cęlum cęli, ſors vni Domino congruens: idcircò conſentaneum erat, vt fieret, quod & factum eſt; nimirum, vt primi à terra ſpirituum ordinis illam vnus alloqueretur. Ad hæc quia Virgo celeberrima, terram in Cœlũ mutauerat, agendum prius illi erat cum ijs, qui ſuperiores terræ finitimi ſunt, vt deinde ſublimioribus nouam oſtenderet
3. viam. 3. Proximus verò nobis incorporeorum eſſe fertur Ordo Beati Gabriel. Deinde mirum non eſt, inferioribus Angelis fuiſſe primis reuelatum illuſtre myſter.ũ,

ſterium, cum & hominibus datum fuerit ijs ad ſatietatem frui, quæ ne deguſtare quidem Angelis licitum eſt, cum in ea proſpicere, vehemens deſiderium illos impellat; idque cum homines dignitate, & puritate diſtent magno interuallo ab Angelis. Et quemadmodum ſi quis accenſa face perquirat quippiam, propinquiora facit magis luminoſa ijs, quæ procul poſita ſunt: ad eundem modum, vbi drachma illa inuenta eſt, propter quam accenſa eſt ſplendidiſſima lucerna; quæ propè lumen erant, longè poſitis magis illuſtrata ſunt. Porrò imagini illi, quæ ſupra alias, Regia maieſtate fulgebat, puriſſimæ, inquam, Virgini, relucenti ſplendidè inter cognatos cœno infectos, nihil vicinius humano genere, & Ordine Gabrielis Angelico, qui homines proxime ſequitur. Has igitur ob cauſas, par erat præ alijs mentibus illuſtrari hunc Exercitus Angelici Ducem. Illuſtratur ergò primus hic, tum ob vicinitatem, tum ob gaudium, quod nunciabat, veluti rei, quā ferebat, & ipſe particeps. Sicuti qui alteri vnguentum dat, virtutis vnguenti conſors cum recipiente fit. *Aue* igitur, in- Luc.1.

quit, *gratia plena, Dominus tecum*. Non poterat ferre Gabriel magnitudinē gaudij, & veluti feſtinans ad reponēdam tantam gaudij magnitudinem ſuper eū, qui ferre illud poſſet, oblitus eſt Virginei nominis, & ſtatim protulit, Aue, quod gerebat, Salutationis dicendæ quodāmodò elapſæ à memoria. Tu ergò es, ait, *gratia plena*: Tu inter mulieres benedicta: idcircò gaude: tecum enim eſt Vniuerſorū Dominus. Nihil tibi aptius ſcio dicere, quam Aue; nam illi, quem Cœlum, & terra, licet ampliora ſeipſis multò fierēt, capere non valebant, tu te (ò rerum miracula) Domum auream effeciſti. Ergo te, vt Reginam vniuerſorum, ſumma veneratione proſequor, vtque mihi iuſsū eſt, Aue, tibi annuncio. Gaude, nam &
5. ego propterea gaudeo, non modo propter hilaritatem nuncij, vt quibuſcunq; læta nunciantibus euenit, ſed quia etiam me ipſo poſt hanc melior, & ad intelligēda altiora fio perſpicacior: Hæc tua, inquam, quibus nihil admirabilius, nihil eſt ſublimius. Quòd ſi, qui res lætas tractat, gaudet, licet vnus ipſe gaudium ſentiat: Tu cum ſuauitate ſupra captum fruaris,

&

Digitized by Google

& vniuerſa tecum creatura, & conditor gaudeat Deus, quid de te dixerit quiſpiã? Aue igitur gratia plena, & 4. gaudio 4.
fruere ſupra omnẽ hilaritatem, ò Benedicta. Hiſce ſalutationibus nihil habeo, quod offeram honorabilius. Et ſcio quidem te Beatam quoque appellandam propter eũ, quem vtero geres iuxta meũ lætitiæ nunciũ, & magnificis te Hymnis à multis omni tempore extollendam; quemadmodum de te prędictum eſt cum admiratione à Prophetis ſtupenda canẽtibus. Sed neque priſcorum quiſpiam digna te appellatione exornauit; nec præſentium, aut futurorum meritos tibi plauſus dabit: & ſi conuenirent in vnum quæ ſunt, quæ fuerunt, & quæ erunt ad præſtandum hoc; nunquam futurum eſſet, vt Hymnus tibi congruens necteretur. Proptereà igitur Aue, ò ſcientiæ profundum, & ſapientiæ altitudo, & opulentia gaudij, & gratiarum mare, & miraculorum magnitudo, & pelagus formoſitatis, & myſteriorum theſaurus: Dominus tecum. Quis tuæ magnitudinis nouitatem non obſtupeſcat? Quæ mens admiranda hæc ſpectacula pro dignitate

perſpectet? Quis intellectus ſeſe erigat, vt velocitate pari perueniat ad ea, quæ nunc ſupra omnem Cœleſtium volatum percurrunt? Quæ mentis cogitatio ad arcana hæc aduolans, vbi ſatis erit in ſtructa deſcendens, grauior apparebit, & dignior? Quæ lingua vocum flores, auro fulgentem loquelam, dictionemque multipliciter delectantem colligens, dignam hac materia contexet lucubrationem? Dominus tecum; non tantum, vt in reliquis creaturis, quas continet; neque habitabit tecum mirabilia operans, quemadmodum cum Moyſe, Elia, cæteriſque Sanctis; neque nunc quidem te illuſtrabit, vt accommodam ſibi Domũ; peracto verò Oeconomiæ myſterio, deſinet ſuate luce perfundere, tecum vniuerſam
5. creaturam fulgore implens: ſed, 5. Dominus tecum, inſolito quodam modo, quem oculus non ſenſit, & cui fores non patuere aurium, quique in cor Hominis nequaquam poteſt aſcendere. Tecum enim; quia propter effulgentem ſacratiſſimæ tuæ animæ ſpeciem, ineffabilis diuinæ naturæ radios in Homines expandit, propter ſplẽdidiſſimam virtutis tuæ pulchri-

chritudinem, induet ſe tua forma, quam adamauit, immaculatis tuis vnitus ſanguinibus. O inauditum myſterium! propter te fiet ex te, quod non erat; & totam tuã gerens Imaginem, & ſuam Deitatem non deponens. Hinc etiam diuina te magnificentia viciſſim cohoneſtabit; & quod natura creator eſt; hoc tibi admirabiliter beneficij loco donabit, tecumq; in omnẽ æternitatem, per id, quod commune tecũ habet, manebit in ſinu inuiſibilis Patris quieſcens. 6. Tibi etiam lac mirum in modum ſcaturiet, quoniam quicquid tuũ eſt, miraculi plenum eſt: Ortus tuus, loci manſio, in hoc ætatis prouectio non humano more tibi conceſſa; Arcana nũc Salutatio, nouus, qui poſtea ſequetur, partus; & lacte potum ei dabis, qui omne animal benedictione implet munifica manu Largitor: tuæ manus illum geſtabunt, cuius manus te quoque formarũt, qui ſolo mentis conceptu, viſibilem, & inuiſibilem produxit mundum. Sed ſi tecũ Dominus, quid multa? planè admirabilia, & altiora quouis intellectu videbit Sol, & plaudent propter te fines terræ. *Aue* igitur *plena gratia: Aue benedicta*, quæ 6. Luc. 1.

ſecundum Deum, omni natura excelſior es. *Quæ cum audiſſet*, inquit, *turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſset iſta Salutatio.* Perſpexit excelſiſſima mens Puriſſimæ quid differat inter Deum, & Hominem, & quantum eſſet huiuſmodi demiſſionis profundum: obſtupuitque myſterium conſiderans, et præ gaudio reuerenter exiluit; non tamen expauit, aut commota fuit, nec varijs affectibus turbata eſt eius anima; erat enim longe ſolertiſſima, vt quis eſſet, qui aduenerat, facilè noſſet. Verba enim illa, *Quæ cum audiſset, turbata eſt*, hunc mihi ſenſum ingerunt, quaſi diceret: Cum perſpexiſſet, et illuſtrata diuinitus mente perpendiſſet, quæ ſit magnitudo Dei, quæ verò nihileitas hominis, cor ei gaudenti palpitabat, et ad diuina obſtupeſcebat, atque applaudebat miracula, tantã Dei audiens demiſſionem; quapropter, et de Salutatione cogitabat qualis eſſet, quã ingens, et humana mente quàm eminentior: cõmoueri enim in ſacris literis, quod perinde valet ac turbari, ſignificat etiam gaudium; vt in illo: *Commoueatur Mare, &* Pſal. 95. *plenitudo eius, gaudebunt campi, & omnia,*

quæ

quæ in eis ſunt. Ita quoque hoc loco per turbationem lætitia, & vehementiſſimus illius animæ impetus indicatur, propter ſtuporem, & applauſum ad prodigia Dei cum timore decentiſſimo: Nam, etſi puritas Virginis incomparabilis erat, nihilq; poterat in ſe ipſa videre, quod multum Dei amorem non mereretur, Homo tamen erat, qui ſe habet ad Deum vt mendacium ad veritatem, quemadmodum decernit exceſſus Propheticus. Propter illud igitur maximè nouum, quod immẽſum, & pluſquam immenſum ferre deberet anguſtus venter, & nouam creaturæ cum Creatore coniunctionem; id planè exiſtimabat pluſquam miraculum; dũq; conſiderat vnionem ad corpus, vt quid infimum, & è luto compactum, & è parente illo præuaricatore natum, formidabile putabat, quod tam altum nuntiabatur, & erat tota ſtuporis plena, vt vas è luto, quod lapſu confractum erat, capere poſſet eum, qui capi non poteſt: & magna quidem cogitationum copia ex eo ſenſu oriebatur; ſed ad ſuam ipſius animam conuerſa, & intuens, 7. vt illam 7.
Deus Immaculatam, & ſupra puritatem

pu-

puram ſeruauerit, vt illa ſublimibus cordis aſcenſionibus in altitudinem elatam cœleſtem, oſtenderit elata omnia infra ſe poſita: tum demum ſtuporem depoſuit; ſeque ipſam ſedato animo, rei, quæ nunciabatur, ſubiecit: *Ecce*, inquiens, *Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbũ tuũ*. Luc. 1.

8. Poterat, arbitror, 8. inculpatiſſima Virgo modicam ſibi aperire viam ad aſſentiendum excellentiſſimæ Salutationi modo compoſitionis humanę. Sicut enim animæ, & corporis connexionem capere quidem intelligentia noſtra nõ poſſumus, omni tamen rationis ſenſu eam fatemur: ita ad ratiocinandum de illa maiori coniunctione, non paruam poterat præbere anſam hæc humana, viam dans explicando Myſterio. Videtur enim mihi Homo, idcircò compoſitus ex duobus, non tantum, vt è varietate operis appareret infallibilis ſapientia conditoris; ſed etiam propter myſterium hoc, vt ex ſe ipſo ad credendum, aliquantulum ipſe conferret. Quòd ſi hominis compoſitio non ſpectaret ab initio, vt mea fert ratio, ad ſignificandum quoque myſterium hoc: non opus Deo fuiſſet puluis, propter quẽ

paulo

paulò minus eſſemus ab Angelis minorati, ſed immaterialibus additamentũ exiſteremus, exiguus quidam fortaſſe ordo, terræque expers. Præterea, ſi cum nihil antea præſtitiſſemus (quid enim pręſtare poſſemus, qui nondum eramus?) immēſæ bonitatis viſcera nos propter hoc vnũ condiderunt, menſamque opiparam appoſuerunt, variam, inquam, & copioſam rerum congeriem è Cęlo, terraque, & intermedijs conflatam; quibuſnam, quæſo muneribus non afficeremur, ſi, quæ ſunt placita Conditori, ageremus? Et vas igitur illud nitidiſſimum, Virgo glorioſiſſima, quia nihil cogitare poterat, quod ad puritatem ſpectans, Deo mirificè non offerret: non multum dubitare poterat, cum ſe rerum humano captu altiorum, fore miniſtram audiebat. Cœterum ob eam rationem, quòd ne cogitatione quidem percipi poteſt, quid interſit inter Deum, & Homines; et ipſa Homo erat, tremendamque conſiderabat myſterij magnitudinem, Angelicam rurſus audit vocem: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum*. 9. Nunc venit Gabrieli in memoriam Virginis Nomen: Luc. 1. 9.

de-

depoſuit enim, quod portabat, gaudij pō-dus; quo depoſito, veluti ſine difficultate reſpirans, libero alloquitur animo; et, *Ne timeas*, inquit, *Maria*; ſuo nunc Nomine illam appellans. Tremendum planè myſterium, et admirationis plenum! Nec vlla creatura eſt, quæ poſſit ad congruẽtem eius intelligentiam peruenire. Tu verò ſola, inquit, Maria, ne timeas. Reuerentiam porrò vſque ad ſtuporem, et grauiſſimum Virginis plauſum, ſimulque exultationem, Gabriel hoc loco timorem
Pſal. 2 vocat: quemadmodum & Dauid, *Exultate*, inquit, *ei cum tremore*. Ne igitur, inquit, ſumma rei nouitas te turbet, neq; te putes minus potentem ad tantam magnificentiam; neque in Sacramenti magnitudinem intuens, ſtupore, & timore, vincaris; neque, quòd Homo es, ideò tibi Salutationem putes formidabilem, aut impoſſibilem: Certè conuenientia cogitas, & excelſa tua mente non indigna: Namque Homo non modò ferre Deum non poteſt, & carne ſua tanquam indumento illum veſtire; ſed ne propius quidem vel modicum accedere ad eum, cui
Daniel 7. Angeli *millia millium aſſiſtunt*, *& mini-*

ſtrant

ſtrant decies millies centena millia, & à facie virtutis eius horrent omnia, & tremunt. Tu verò, quomodo id dicam neſcio, non Homo es, non Angelus, ſed alia quædam natura altior, & cui poſt diuinā naturam, nihil comparari poſſit, vel etiā, vt exemplo. Idcircò tibi vni, Maria, timendus non eſt meus Nuncius. Eximię virtutis tuæ puritas non eſt ad tantum Nuncium minus apta: Splendor admirandę tuæ animæ non repellit felicis Nūcij ſuſceptionem. Tuam pulchritudinem non indignam ſeſe ſtatuit Opifex: Tuæ formoſitatis nitorem non pertranſijt rerū omnium inſpector: Fulgorem tuę Puritatis non adeundum ſibi non cēſet Creator. *Ne timeas* ergò *Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum*. Iudex rerum tuarū ſit Deus, & quia dignam tropheis tui fulgoris gratiam, nullam aliam reperire poterat, quam referret, ſeipſum Dominus præmium tibi dat. Neque enim certaminum auctor tranſilit certatores, nec minora laboribus præmia donat, nec inferiores certaminibus nectit coronas. Tibi verò, quia nihil erat, quod æqua lance reſponderet, non præſentia, non futura, Luc. 1.

non

non altitudo, non profundum, non mundus vniuerſus, non alia creatura; redditur illud, quo vno es digna. Eſt autem (ò ineffabilem tuam, Virgo puriſſima, gloriam!) illa vox: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius*
Luc. 1. *Ieſum. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius. & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis*. Hæc ſunt, quæ redduntur ſplendidiſſimis animi tui radijs; hæc tibi gratia refertur pro supercœleſti, Deumque demerente aſſenſu. Hæc tibi præſignabat tua in Adytis commoratio, quod Venter tuus præparandus erat ad inhabitandũ; veluti pratum inſolita afferens oblectamenta ei, qui vnus ab omni commercio ſegregatus eſt, quique facturus nouum illud erat, vt infimis Cœlum pateret; ijs verò, qui terræ incolæ non ſunt, nouam ambulationem ſubſtraturus terram. Hoc idem tibi prænotabat alimentum cęleſte, vt ex altiori victu, copia tibi foret dandi cęnam Altiſſimo. *Dixit autem Maria ad*
Luc. 1. *Angelum: Quomodo mihi erit hoc, quoniam Virum non cognoſco?* Conceptum nuncias:

Fi-

Filium mihi felici omine promittis,ò Gabriel. Hæc autem alia ratione fiunt,quæ mihi planè incognita eſt. Quomodo ergo mihi contingat, quod feliciter nũcias? Nam etſi magnum fore, quod naſcetur, admirabile ais; ſcimus tamen naturali quodam ordine, hoc eſt exiguo, & humano fuiſſe exhibita, quæ ad hanc diem in terra patrata ſunt miracula. Ita Moyſi Mare diuidenti, opus fuit Virga: Eliæ oleum, & modica farina, vt Seraphtiam diu aleret: & Raphael per piſcem Tobiæ viſum reſtituit, & Dæmonem expulit. Nec illud dico, quod Virga,& piſcis, & ſimilia fuerint admirabilium operum cauſa;ſed hominibus conſueta adhibentibus, Deum exhibuiſſe miracula. Itaque non dubito, quin volente Deo, futurum ſit in me quoque arcanum quidpiam. Verùm & conceptus, & filius, vt ipſe dixiſti,ſunt voces humanæ: ex quo ſequitur, ad hæc exigi virile commercium. Quomodo igitur in me, quod nuncias, impleatur, eo non adhibito; tu mihi ediſſere neſcienti modum. *Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoq; quod* Luc.1.

na-

naſcetur ex te Sanctũ vocabitur Filius Dei. Non ſunt, inquit, mihi voces, quibus aptè myſterium exprimam: idcircò vocibus vtor humanis, vt quæ ſupra hominem ſunt, efferam: Quanquam indecens non eſt talibus vti nominibus de eo, qui præ ineffabili in homines pietate, non dedignatus eſt vocari, & fieri Homo. Ergo verè concipies, & verè tibi filius erit; quod eſt præſens myſterium: modus autem; *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te; ideoque & quod naſcetur Sanctum*, licet tuus filius, at etiam *vocabitur Dei Filius.*

Pſal. 44. Proinde, *audi filia* (mecum enim te Propheta rogat, edoctus certè olim à Deo, quod nunc ipſa de me quæris) *& inclina aurem tuam, & obliuiſcere* ratiocinationē è rebus humanis, ad ea, quæ ſunt ſupra hominem; & quæcunque ſpectant ad paternam, & domeſticam tibi domum: *quoniam Rex concupiuit ſpeciem tuam*, & per te genus mortalium liberat ab ęrumnoſa ſententia, & ſupernaturalia largitur hodiè Mundi finibus munera. Et vera eſſe

Luc. 1. verba mea, ecce fidem tibi faciam: *Et Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua; & hic menſis ſextus eſt illi,*

illi, quæ vocatur ſterilis, quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Neque igitur Dei aduentum in te audiens, modū inquire. *Dixit autem Maria ad Angelū: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. O præclaram reſponſionē; ò præclariorem animum; cui præordinatum erat, vt miracula pareret! Quis, inquit, futurus eſſet concipiendi modus quærebam, dum ſermo de conceptu haberetur. At vbi Spiritus Sancti aduentū audiui; non amplius dubito: obſequentē habes, quæ Dei deſiderio à teneris annis ardeo: nihilque præter Deum in mente habeo; & inſeruire Dei voluntati iam olim mihi ſtatutum eſt. Ecce igitur, vt Ancilla Domini, alacriter me ſalutationi ſubijcio: Fiat mihi iam Angele, quod ſelici attuliſti Nuncio: Eſſe enim Deo nihil impoſſibile, fateor & ipſa. En nouus benedictæ Virginis ad virtutem aſcenſus, qualia nimirum eminentiora omnibus parauit miracula. Ita de fructu operum ejus (opera verò, ſublimem dico contemplationem, quorum fructus extitit dulciſſimus Ieſus) ſatiata eſt & terra, & Cęlū, & reliqua omnia. Hæc profectò terra

illa eſt, cuius ſtabiliſſima ſunt fundamenta, & non commouebuntur in ſæcula. Ex quo factum, vt ferret etiam altitudinẽ ſuper Cœlos ædificatam: aliam quippe terram, & Cęlum audiuimus futurum. *Hæc terra illa eſt, è qua Veritas orta, & propter quam de Cœlo proſpexit Iuſtitia.* Et Beatus quidem Dauid ſimilem vanitati & mẽdacem aſſerit omnem hominem; pro eodem, vt arbitror, vanitatem, & mendacium ſumens. Hic verò præcipuus naturæ flos, vt ſeſe euidentiſſimè oſtenderet eſſe quid ſupra homines, vnicam
Io. c. 15. 10 protulit veritatem, veramque vitem progerminauit. *Ego* enim, ait Chriſtus, *ſum Vitis vera.* 10. Terra hæc verum edidit panem, & vinum lætificans hominis cor; quæ nimirum nobis ſunt, meus Ieſus, & confirmans, & lætificans. Propter hęc de
Pſal. 64. Io. 14. ea Propheta Dauid ante cecinerat: *Replebimur in bonis domus tuæ. Hæc via, & veritas, & vita.* Nam hæc etiam ille eſt, qui ab ipſa eſt; per ipſam & ad cęleſtem Patrem acceditur; quandoquidem nemo ad illum, niſi per nouum Virginis partũ! Ad hunc verò venit nemo ſine Matre. Et cum Deus hominem crearet, ob id, il-

lud

Digitized by Google

lud, arbitror, pronunciauit: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Gen. 1. Vt enim homines certa poſſent ſcientia contendere, quòd planè, perſpicueque peruen ſſet homo ad diuinam ſimilitudinem, quantum fas eſſet per lutũ, à quo habet homo, vt differat à Deo, & Angelis, nullus à prima temporum origine fuit, vt Virgo, neque erit per futura ſæcula: Nam neque Adam, neque vllus Adæ filius perfectè impleuit modum humanæ excellentiæ. Cum ergò talem magnitudinem (quia non erat facta) fas quidem eſſet appræhendere, & quærere: notitiam verò experiẽtia nullam præberet, nec apertè illam ſubijceret oculis, nõ efformata ſcilicet è puluere honorabiliſſima Virgine, viſa fuiſſet diuina vox in caſſum pronunciata. Propter ipſam igitur dictum fuit excelſum illud elogium dè homine, quod eſſet ad ſimilitudinem Dei creandus. Hic igitur eſt ille Theſaurus, quem habemus in Vaſis fictilibus, pellibus, inquam, primigenijs. Præterea propter ipſam initio creatus homo eſt, & extenſum Cœlum, & terra, & quicquid productum eſt propter hominem. Nam

ſi præuiderat quidem Deus Adæ lapſum; haud verò creaſſet, non prædeſtinata ſimul creatione; medela autem per Virginem parabatur: liquet hominem etiam eſſe propter ipſam; & quidquid propter illum fuit ante, et poſt illum. Rurſus, quia hominem liberare ab ærumna non valebat homo eiuſdem naturæ; quique propter virtutis abundantiam eſſet idoneus ad vtendum Dei adiuuantis auxilio;
11 11. maior enim erat culpa, quàm vt purus homo poſſet libertatem afferre: opus erat nouum creari hominem, qui valdè propè ad Deum accederet, vt medicinam adhibere poſſet: Hic verò planè fuit ſtupendiſſimus ille homo, Virgo, cunctorũ hymnis decãtatiſſima, de qua vel ipſi Deo curæ fuit prædicere, quod tantis viribus eſſet preualitura: et formare illam, vt homo eſſet ad diuinam ſimilitudinem: quæ quaſi Deus, operanti Deo ſuam operam præſtans, nobili creaturæ homini poſſet dare ſalutem. Licet igitur ex his etiam inferre, quod ab initio diuina bonitas non fuiſſet diffuſa, nec vlla creaturarum Dei gloriam enarraret, ſi multitudo decorũ Virginis non prius emicuiſſet in mente

opi-

opificis: neque enim Deus illud creaſſet, quod ad meliorem ſui ſtatum, quoad eius fieri poſſet, pertingere non valeret. Cum ergo nemo alius aut hominem erexiſſet, aut Angelos illuſtriores reddidiſſet, aut quamuis aliam rem in formam hilariorē perduxiſſet, præter celeberrimam, ſubli-miſſimā, diuināq; Virginem, liquidò conſtat Deum eſſe Creatorē propter ipſam, datoremque omnium, quæ bonitatis eius pelagus delineat nobis. Nec verò ea tantum ratione Verbi Creatoris eſt Mater, quod eum peperit; ſed etiam veluti Creatricis eius bonitatis Mater, vtpotè argumentum, & cauſa manifeſtandæ bonorū effectricis potentiæ. Ita, ſi licet audacter loqui, Concreatrix Dei fuerit, etiam antequam orta eſſet in terra, & Comproductrix viſibilium, & inuiſibilium ad hanc pulchritudinem creaturarum; quemadmodum & vbi Virgo apparuit, varietatis & decoris ante contexti pepli, vniuerſi huius Mundi fuit Conformatrix, & Coornatrix. Nec ſolum præſentia, propter ipſam habuere ortum, ſed quicquid etiā illuſtre futurum eſt, beneficio ipſius erit: ſiquidem & illa propter nos, & nos pro-

pter ipſam, vt probatum eſt. Imò verò futurorum iucundiſſimum, eſt nobis exitus Nuncij, qui nunc ad ipſam perfertur. Ex quo quid clarius ad intelligendum, quod bona etiam ſubſecutura propter ipſam futura ſint? Nuncius hic fecit, *vt nos*
1.Io 3. *filij Dei nominemur, & ſimus: Quotquot*
Io. 2. *enim receperunt*, inquit, *eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; his, qui credunt in nomine eius*. Et ſicuti non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri aduenit ſalutatio ad Virginem gratia plenam: ita per ipſam noſtra quoque in priſtinum reſtitutio, ſine vlla prorſus carnali radice, diuinitùs fit. Et quemadmodum Virgo, indumentum, quod accepimus à parentibus, cuius fuit & ipſa particeps, totum Deo conſecrauit; ita Deum, quem ſinus eius humanus amplexus eſt, communem eſſe ſtuduit cognatis, quia illum ipſa in ſe ſuſceperat: Quanquam non erat conſequens, quia pellem habemus communem, idcircò nos cum ipſa æquè, vt paulò minus, conſortes eſſe ſplendoris Deifici, quo cumulata eſt Virgo: ſed quemadmodum nulla rerum ſublimium fuit, quæ deſiderio eius ſatisfecerit, donec & ipſum

ebi-

ebibit Deum; idque de ipſa Dauid euidẽ-
tiſſimè pronunciauerat; *Satiabor*, in-
quiens, *cum apparuerit gloria tua*: hinc ſo- Pſal. 16.
lum reperiens ſitiendorum bonorum fi-
nem: ita pelago amoris, quo genus hu-
manum Virgo proſequitur, nihil obſtat,
quo minus velit nos æqualiter participa-
re ſplendores, quibus ipſa fulget. Sed vt
ſe exhibeat alterum ferè Creatorem, bo-
numque dominum, Creatori, & Filio ſuo
ſimilem, maxima quæque affatim com-
municat cum alijs. Imò verò vt oſtendat,
quod propter nos in hanc vitam eſt edi-
ta, & quaſi munus porrigens, Deo coniũ-
gat, inde diſiunctos, alacriter per ſuum
partum nos aduocat, quo ſimus conſor-
tes vnionis cũ ipſo, vt quod illi fuit Deus
per admirandam illam conceptionem;
tulit enim ipſum veluti abſortum, ſibiq;
coagmentatum: hoc idem cum Deo nos
efficiamur per ſumptionem carnis, quam
eius Vnigenitus aſſumpſit ab ea. *Qui*
enim, inquit, *manducat meam carnem, &* Io. 4.
bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego
in illo: &, *niſi manducaueritis carnem Filij*
hominis, & biberitis eius ſanguinem, non
habebitis vitam in vobis. 12. Cœnam 12
F 4 porrò

pter ipſam, vt probatum eſt. Imò verò futurorum iucundiſſimum, eſt nobis exitus Nuncij, qui nunc ad ipſam perfertur. Ex quo quid clarius ad intelligendum, quod bona etiam ſubſecutura propter ipſam futura ſint? Nuncius hic fecit, *vt nos filij Dei nominemur, & ſimus: Quotquot enim receperunt*, inquit, *eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; his, qui credunt in nomine eius.* Et ſicuti non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri aduenit ſalutatio ad Virginem gratia plenam: ita per ipſam noſtra quoque in priſtinum reſtitutio, ſine vlla prorſus carnali radice diuinitùs fit. Et quemadmodum Virgo, indumentum, quod accepimus à parentibus, cuius fuit & ipſa particeps, totum Deo conſecrauit; ita Deum, quem ſinus eius humanus amplexus eſt, communem eſſe ſtuduit cognatis, quia illum ipſa in ſe ſuſceperat: Quanquam non erat conſequens, quia pellem habemus communem, idcircò nos cum ipſa æquè, vt paulò minus, conſortes eſſe ſplendoris Deifici, quo cumulata eſt Virgo: ſed quemadmodum nulla rerum ſublimium fuit, quæ deſiderio eius ſatisfecerit, donec & ipſum

1. Io 3. Io. 2.

ebi-

ebibit Deum; idque de ipſa Dauid euidẽtiſſimè pronunciauerat; *Satiabor*, inquiens, *cum apparuerit gloria tua*: hinc ſolum reperiens ſitiendorum bonorum finem: ita pelago amoris, quo genus humanum Virgo proſequitur, nihil obſtat, quo minus velit nos æqualiter participare ſplendores, quibus ipſa fulget. Sed vt ſe exhibeat alterum ferè Creatorem, bonumque dominum, Creatori, & Filio ſuo ſimilem, maxima quæque affatim communicat cum alijs. Imò verò vt oſtendat, quod propter nos in hanc vitam eſt edita, & quaſi munus porrigens, Deo coniũgat, inde diſiunctos, alacriter per ſuum partum nos aduocat, quo ſimus conſortes vnionis cũ ipſo, vt quod illi fuit Deus per admirandam illam conceptionem; tulit enim ipſum veluti abſortum, ſibiq; coagmentatum: hoc idem cum Deo nos efficiamur per ſumptionem carnis, quam eius Vnigenitus aſſumpſit ab ea. *Qui* enim, inquit, *manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*: &, *niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. 12. Cœnam

Pſal. 16.

Io. 4.

12

porrò hanc iucundiſſimam, & vitæ Largitricem, ſupercœleſtis verè Homo, nimirum Virgo agricolatione ſua præſtitit, vtque futuram nobis reuera cœnam parauit. Itaque cum nos eius Filius ad hanc quoque attrahit menſam, ſuaſque porrigit carnes, videnſque nos deguſtantes, gaudet; hoc etiam Matri adſcribendum eſt: Fructus enim hominnm & ipſa mirũ in modum procreata eſt, vt carnem quidem ex ea Deus ſibi ſumeret, eadem verò aleret Matris ſuæ cognatos. Nam ſi hoc futurum non fuiſſet, omni materia ſublimius illuſtriſſimum hoc vas nunquã extitiſſet creatum è terra ſimulachrum. Et vbi terram adijt, quia Deo ſimillima erat, nihil aliud exoptauit, quam quod Deus optabat: & quia ligni quidem fuit guſtus, qui hominem à Deo (proh dolor!) abalienauit; ſuam vero carnẽ Virgo eſſe idoneam medicinam videbat, oppoſitum guſtantibus, ad coniungendos homines Deo, quo ægrotum beneficio afficere gratuitò cupiebat: id ipſum verò Deo quoque gratum erat, ſeipſum ſcilicet, ſi fieri poſſet, apponere lapſo eſcam; hoc autem redintegrationis beneficio nõ

po-

Digitized by Google

poterat homo vti, non facta coniunctione partium; nam vtraq; coniungi oportebat, vt propter cognationem quoque vtilis foret medicina vtenti. Id planè nō ignorans irrepræhenſibiliſſima Virgo, precibus cum Deo agebat, vt miſceret medicamentum. Rogantem porrò non audire Dei non erat; tum quia digna erat, quæ exaudiretur; tum quia res ipſa Deo placebat: idcircò pluſquam nouum & admirabile myſterium peractum eſt, Deique carnem ſumimus homines, quam immaculatiſſima contexuit, & induit Saluatorem. Itaque ob duas, arbitror, haſce cauſas, filia hominum extitit, & vocata fuit illius Genitrix, quem nullum exprimit nomen, nimirum vt cum Deo communicaret terrenam gloriam. Gloria enim Domini eſt, quæ nobis tenuia ſunt, vtque palam fieret hominibus quouſque limus euolare poſſit; neque enim Deo modus ferendi auxilium hominibus deerat, etiam ſine ſuperimmaculata Virgine, neque vlla cogebat neceſſitas, vt Virgo penitus puriſſima, diuinis muneribus non abundè ditaretur, niſi infima coluiſſet: Nam hoc etiam facile Deo erat, in excel-

ſis

ſis Virgini oblectamenta metiri, terramque illi non eſſe opus, quæ ob ſuum ſplẽdorem Angelis ſociata eſſet. Quòd ſi etiam homines neſciſſent, quantus honor Beatæ Virgini deberetur, at certè non ideò meritos in Cœlis non aſſecuta eſſet honores. Vt igitur hoc idem Virgini Deo ſimillimæ cõtingeret, quod Deus habet, hoc eſt, gloria in excelſis, & in terra; nihilque Deo eſſet gloriæ, cuius & ipſa non eſſet particeps; vtque homines tantam ſui ſublimitatem non ignorarent, propterea & terram incoluit glorioſiſſima, & terreum geſtauit operimentum.
Luc.2. Quapropter, *Magna, inquit, mihi fecit qui potens eſt*. Hæc porrò illa poſſidebat prorſus, nec fieri quod iam habebatur opus erat: ſed manifeſtauit, & clara omnibus conſtituit; ſignificat vox illa, Fecit. Et hanc ob cauſam fortaſſe Gabriel miniſterio linguæ, Aue, protulit gratia plena, & benedicta; vt nos doceret, quibus vtendũ ſit vocibus ad ipſam, & qualem eius excellentiam ſuo dicto teſtatam omnibus fecerit: poterat enim & arcana mentis loquutione perfungi miniſterij ſui officio, & magnifica Virginis audire
ver-

verba eodem vtentis inſtrumento; etſi modus iſte, non aliquis alius eſſet, adhibitus fuiſſet, vt Dominus humilitatis exordio vtens non admodum elatè, nec pro rei dignitate factũ tuba caneret: Verùm nos quoque pro quibus myſterium fit, oportebat inſtitui quę ſint, quibus vulneratur ſuperbus. Quapropter omnes arbitror Angelicos Ordines, & Cœlum, & Solem, & Terram, ac Mare; & reliquas creaturas, datis vnicuique linguis, vnà omnes cum Gabriele acclamaſſe Virgini, *Aue*. Et quemadmodum cantilena repetitur in tripudio, præeunte duce Chorij ita creaturas cum principe Chori idem ſæpe repetiſſe, hymnumque accinuiſſe. Tanta quippe eſt magnificentia Virginis, & ita erat conſalutanda Virgo ab omni creatura. Quod ſi non lingua, ob eam, quam diximus rationem; facto autem ſignificauit gaudium, agnoſcens in lętiorem ſtatum ſui mutationem: ita etiam expreſſius, quam per linguæ officium, celebrauit vniuerſa creatura, quæ in laudatiſſima Virgine magna erant. Quod enim creaturarum vnaquæque non poterat; nec vllo modo ad id peruenire illi fas

erat,

erat, vt tam propè ad Deum accederet; quod hæc quidem creatura ſeipſam Deo ſedem ſupponeret; illa verò lectum, alia cibum, alia potum, alium alia daret vsũ: ita vt alia etiam linguam audiret diuina motione ſonantem: Homo etiam non poſſet eouſque prouehi, vt ſermones cõferret, verſaretur cum Deo; ita, vt res omnes noua ſanctificatione illuſtrarentur, totum id facillimè, citrà vllum negocium per Virginem puriſſimam aſſequi potuerunt. Cunctis enim creaturis ſuo loco manentibus, neque à conſueta ſede diſtractis, aut ad alium delatis inſolitum ſitum, & modum; ſed in ſua omnibus ſtatione poſitis; opera Virginis factum, vt nouo quodam modo Creator ſeſe omnibus ingerat. Hæc porrò ſunt hodiernę feſtiuitatis munus, & partus. Itaque ſalutatio nouorum eſt auctor miraculorum, & felix Gabrielis nuncius Solem alium antiquo fulgentiorem, attulit rebus. Hæc allocutio, diſciſſa terreſtri tunica, veſte diuini operis induit mortales. Hic Angeli ſermo ad Virginem, veterum eſt ænigmatum publicatio, nouorumque donorum ſplendor lucificus. Hic Nun-

tius

Digitized by Google

tius etiam, ante id, quod vltimò illatum eſt, Saluatoris, inquam, Reſurrectionem, pijs hominibus in inferioribus voluptas fuit, & lætifica motio. Sicut enim in terra, tanquam Prophetæ hanc omnium gratiſſimam nunciationem præcinebant; ita in inferis quoq; non poſſe eos latuiſſe puto lætiſſimum Nuncium: ſed vtpote non ignaros, ac veluti nouam ſalutationem audientes, quando Gabriel loquebatur, gauiſos fuiſſe, & exultaſſe par eſt, quod vicinam eſſe libertatem perſpicerent. Nuncius iſte, vt breuiter dicam, omnem creaturã hilaritate affecit; quod etiam clarè teſtatur pulcherrima hęc anni pars, quæ optimam mutationem, & ferè vitæ reſtitutionẽ largitur omnibus, tanquam erubeſcens, ſi Nuncium illum gaudij ſplendidum non reddat, quibus poteſt indicijs. Vt enim ita dicam, ne quis Ver accuſet ingrati animi, ſua formoſitate fatetur clariſſimè, hoc illud eſſe tempus, quo gaudium affulſit vniuerſitati creaturarum: Nunc quippe Sol, vti lippitudinem, diſijcit nubes, & lucidiorẽ emittit radium, terræque vicinior eſſe incipit, tantum non omnibus acclamans

appa-

Digitized by Google

apparuiſſe nouum, & magnum hoc lumen; & nunc ipſe quoque renouatur, & ſuum ſub terra radium abſcondere non diu vult. Nunc Cœlum, quaſi nouo ſe indumento veſtiens, deponit quidem triſtem vultum, ſplendore verò ſe ornat, & veluti ſui veſtitus ornatum, Stellas exponit, varietatem hanc, ſplendoremque proponens exemplar ijs, quibus ſtudium eſt vti multicoloribus indumẽtis: & nunc amplius quàm antea, Dei ſe gloriã enarrare profitetur. Nunc tellus germina fert miræ pulchritudinis, vt quod ipſa contexit è multis coloribus, nulla poſſit imitatio aſſequi, datque pictoribus, quibus vti poſſint ad miſcendos colores: vtq; figmenta pingentium certent cum ipſa rerum varietate. Cunctas verò plantas jubet reuireſcere, & hymnis concelebrare ſplendorem Feſtiuitatis. Gaudet verò ſuis exornata floribus, ſeque aptum ſubſternit torum, quæ prius erat horrida. Nunc Mare, quod paulò ante hoſtilibus vndis vicinam terram verberabat, à minis abſtinet, ridenſque reconciliationem vult, teſtem ſe dans, quod recens aduenerit pax ſenſum omnem exſuperans.

Nunc

Nunc aer leniter flans, diſcuſſis vehemẽtibus ventis, & percrepantibus tonitruis, miti ſpiritu, omnes è cauis, latibuliſque euocat, ſeſeque pollicetur leni ventorum flatu vſurum. Nunc greges quadrupedũ ſurgunt ad exiliendum, terręque parenti alludendum, pullorumque more ſaltandum. Volucrum verò genera quæque nuper enatarum alas per aera ſine labore expandunt; & quæ varios edunt cantus, ſeſe ad modulationem accingunt, ſuum per hoc gaudium ſignificantes: quemadmodum & homines tum pluriũ depoſitione veſtium, tum nauigationis, & militiæ, itinerumque ſuſceptione; denique, quod vere ad noua quæuis opera manum admouemus. Nunc enim vetuſtatis quidem pondus per Angelum eſt amotum, & creaturarum reſtitutio facta, diffuſumque gaudium: ſiquidem alter alterum, veluti præco loca peragrans, gaudere iubet, datq; & viciſſim accipit amicitiæ ſigna conciliatæ. Sed hæc quidem ita ſe habent, vt effuſus odor tanti gaudij per Mundi fines oſtendatur. Nam lætitię ſigna non edere res nunquam deſinent, donec adueniat nouiſſima, ſine vllo ſenio

fu-

Digitized by Google

futura poſtrema reformatio, cuius delectatio huius eſt myſterij fructus. Nos verò, è quibus decantatiſſima orta eſt Virgo, commune omnium oblectamentū; & pro quibus ille, qui potens eſt, cum ipſa Virgine magna peregit; ſicut accepimus gaudium, ita reddamus illi, quæ dedit; non ſolum adhibentes ſalutationē, quam à Gabriele didicimus, ſed noſmetipſos etiam intus perpurgantes, & omne, quod deprauat animum, eliminantes, vt cęnæ apti ſine labe fiamus, accedentes ad eſcam admirabilem, & puriſſimam, quam ſalutatio hęc modo nouo, & inſolito dedit. Ita enim glorioſiſſima Virgo ſummam lætitiam percipit, dum nos Vnigeniti ſui carnibus repleri videt; Nam propter hoc immaculatiſſima in terram venit, & carnea ſua veſte Saluatorem obtexit, vt Saluator hæc nobis fieret cęna, perque cognatam nobis eius carnē Deo iungeremur; quod aſſequi ſine Virgine, propter peccatum non poteramus: Gaudet ſine dubio, dum nos hac menſa vtimur, quam ad hoc præparauit, & propter quam cuncta illa myſteria tremenda peracta ſunt, & per quam in Deos ex homi-

minibus, eſu doni mutamur. Quòd ſi inde venit gaudium, certè contrarium, Beatiſſimæ Virgini eſt moleſtum, cum nos procul à ſacra Menſa ſedemus fame laborantes, quod eſt abalienatio à Deo, vitæque peremptio: *Qui enim manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*: Et, *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere*; Et, *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*. Qui ergo non fit myſteriorum particeps; ſeſe procul à Deo poſitum vult; fitque porcorum, heu, ſubulcus cum exitiali Dæmone, aut poſtremò fomes gehennæ. Rurſus; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et iure quidem; ſi enim qui conſuetum viuendi modum deſerit, mortalem quoque vitam amittit: ad eundem modum, qui etiam illo non paſcitur, mortuus miſerabilis, veræ vitæ expers, tormentorumque ſibi fit cauſa æternorum. Quoniam verò nunc quidem gaudium attulit hodierna ſalutatio, quæ &

Io.4. Io.9. Io.15. Io.4.

G nouum

nouum intulit partum; hic verò nobis iucundiſſima menſa, vitæque interminabilis euaſit cauſa; nos quoque animas noſtras repleamur gaudio, ſimul cum Gabriele Dei Matri dicentes, Aue. *Aue gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus*. Obſecremus autem Virginē, vt & viuificā eſcam dignè ſumamus, quæ præſens gaudium tulit, & propter quam nobis æternum gaudium prouenit. Gaudeat verò propterea & glorioſiſſima Virgo, eiuſque Filius; & fiat, vt nos omnes gaudiJ ſine fine compotes efficiamur, precibus plenæ gratia Matris Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti; quem decet omnis gloria, & honor, & adoratio, cum Patre eius principij experte, ſanctiſſimoque bono, & viuifico eius Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Luc. 1.

Eiuſ-

Eiuſdem Iſidori Theſſalonicenſis, in ſummè venerandam Immaculatiſſimæ Dominæ Noſtræ Matris Dei, ſemperque Virginis Mariæ Dormitionem.

ORATIO IV.

SI Cœli pulchritudinem, & fulgens iubar Solis, nec tacet qui intuetur, & admiratur: nec ſatis laudatione ſua extulit, plauſumque dedit operibus tam magnificis, & propterea quamdiu videt, vel nolens extollit miraculum: qui fiat, vt laudatiſſimæ Dei Matri nō meritò nectatur quotidie hymnus, licet ſæpè quis debiti huius ſummam perſoluerit? Nam ſi Sol, quia lumen diffundit, virtutiſque viuificæ inſtrumentum eſt non contemnendum: Cælum verò fulget varietate Stellarum, & amplitudine vincit omnia, laudem id-

Digitized by Google

circò merentur: Quæ veram, & inextinguibilem affert Mundo lucem, vitæque interminabilis globus eſt ſplendidiſſimus, cœlique decorem vincit, & amplitudinẽ,
1. 1. cum adamata fuerit ab eo, & complexa eum fuerit, qui non capitur, quas aſſiduò laudationes ſibi non vindicet? Quod ſi rerum illarum laudatio ad Deũ refertur; nam Dei gloriæ Cęlum quoque eſt enarrator; & gloria hæc laudatorem ducit ad Deum: profectò is, qui nulla alia re magis Deo coniungitur, quam per Virginem, qua nihil ſimilius, nihil vicinius Deo eſt; ſapienter agit, ſi poſtpoſitis alijs, Virginẽ alloquatur, Virgini addictus ſit, Virgini conſcribat encomia. Quemadmodum ergò Angeli cantu nunquam ceſſante Deum collaudant, quod vt expertes materia, maiorem quam homines, cum illo habent ſimilitudinem: ita nos vni Deo ſecundam, per quam experti ſumus copioſam Dei miſericordiam, quia generis eiuſdem ſumus, indeſinentibus hymnis, ſi fieri poſſit, concelebrare debemus. Itaq; cum multa, & magna ſint, quibus illuſtrari poteſt, qui mentem, & linguam excitat ad laudes Virginis, certè maximũ,

at-

atque è terrenis euehens laudatorem in cœleſtia ac diuina, eſt etiam tranſitus eius ad Deum, quem hodie celebramus. Sicut enim omnia, quæ ad illam ſpectant; ortus; in ſacris Templi penetralibus inſolita commoratio; alimentum illi præſtitũ, non ex ijs, quæ terra, ſed quæ fert Celũ; excellentiſſima ſalutatio, quam illi Sanctus Gabriel attulit nouam, atque arcanam; admiranda ſcaturigo lactis, & cætera, quorum alia quidem euulgata ſunt, vtpote vel admiratione maiora: 2. quædã verò manent recondita, vt excelſioribus eius minora myſterijs, licet aliorum hominum eximia quæque ſuperent: Sicut ergo illa eiuſmodi ſunt, vt quouis ſermone altiora ſint, licet facundia ſummum attingat æthera, ſuperque cœlos feratur: ita planè & ſplendida Genitricis Dei Virginis Dormitio, excellentiſſimis, & venerandis cohoneſtata eſt diuinæ virtutis operibus. Sed age, parumper præludat oratio. Quoniam puriſſima Virgo ad hoc fuit in hanc lucem edita, vt opus illud innecteret ſupra modum admirabile, quo ſcilicet ſeruili forma veſtiret Dominum; arctiſſimoque & inenarrabili beneuolen- 2.

tiæ vinculo aſtringeret creatorem cum abdicatis olim, & inimicis hominibus: efformabat ſeipſam, & ſatis clarè effigiabat, vti Pictor peritus, intuens in imaginem Opificis; & Filij ſui. Sicut enim Creator, aſſumpto ex ipſa terreno habitu; demiſſè ſe geſſit pro terreni habitus conditione: nam & Fabri filius audiuit, domumque non amplam incoluit; quin & Vulpibus pauperior, non habebat vbi caput ſuum reclinaret; nec famulum emit Miniſtrum; imò verò Matri miniſtrabat ipſe & inſeruiebat; nihil obſequiorum prætermittens, quæ negligere parentũ amor non permittit, parentibus natum ſubijciens, & ſubdens: egenus egenis: *Pauper*
Pſal. 87. enim *ego ſum, & in laboribus à iuuentute mea*; de ipſo dictum à Propheta: Ita ſacra Virgo, & Mater ſequuta eadem veſtigia; nullum adamauit faſtum; nullo ſibi ancillarum comitatu, nullo prorſus aſcito famulatu more dominarum; ſed tenuem vitam degebat, ſe vna vtens Domi ſibi miniſtra. Ad vſus verò rerum exteriorũ, opera longè optimi, & diſcipuli ſuper omnes dilecti Ioannis Virginis, quem Opifex, ſicuti puriſſimæ parentis filium,
ſe

ſe mira nouitate conſtituit, cum ob alios eius lepores, tum etiam propter pulchritudinem Virginitatis: ita eiuſdem puritatis gratia Filium ſubſtituit Virgini. Ducebat ergo illa Cęlis ſublimior, imò vero & ipſis Seraphim longè excellentior, vitam ab omni faſtu alienam, & quauis inani gloria, tenui, vilique gaudens victu. Nã ſicut antequã eſſet, magnis illis aucta crementis ab eo, qui potens eſt, ingentique ac præexcelſa Gabrielis Salutatione affecta, rerum terreſtrium nulla videbatur illi magnifica, nec erat, à quo eius animus allici poſſet, ſed aſpernabatur omnia, ſoloque cęleſtium tenebatur affectu, Deique feruentiſſimo amore, cui etiam, ſupra quam dici poſſit, coniuncta eſt: ita quoque poſtquam Deum Verbum enixa eſt, & genus humanum in cœleſtem gloriam euexit; eiuſq; filius eò aſcendit, vnde nunquam fuerat abſens; inferiora omnia contemnebat, & caduca omnia, quorum præſentia ſuperbiunt homines, nihil animum illius afficiebant. Imò verò, vt egò ſanè arbitror, poſtquam immenſam illam, & inenarrabilem accepit gratiam, vt Deũ vtero ferret; maiori quam antea vi exar-

Digitized by Google

tiæ vinculo aſtringeret creatorem cum abdicatis olim, & inimicis hominibus: efformabat ſeipſam, & ſatis clarè effigiabat, vti Pictor peritus, intuens in imaginem Opificis, & Filij ſui. Sicut enim Creator, aſſumpto ex ipſa terreno habitu, demiſsè ſe geſſit pro terreni habitus conditione: nam & Fabri filius audiuit, domumque non amplam incoluit; quin & Vulpibus pauperior, non habebat vbi caput ſuum reclinaret; nec famulum emit Miniſtrum; imò verò Matri miniſtrabat ipſe & inſeruiebat; nihil obſequiorum prætermittens, quæ negligere parentũ amor non permittit, parentibus natum ſubijciens, & ſubdens: egenus egenis: *Pauper* enim *ego ſum, & in laboribus à iuuentute mea*; de ipſo dictum à Propheta: Ita ſacra Virgo, & Mater ſequuta eadem veſtigia; nullum adamauit faſtum; nullo ſibi ancillarum comitatu, nullo prorſus aſcito famulatu more dominarum; ſed tenuem vitam degebat, ſe vna vtens Domi ſibi miniſtra. Ad vſus verò rerum exteriorũ, opera longè optimi, & diſcipuli ſuper omnes dilecti Ioannis Virginis, quem Opifex, ſicuti puriſſimæ parentis filium,

Pſal. 87.

ſe

ſe mira nouitate conſtituit, cum ob alios eius lepores, tum etiam propter pulchritudinem Virginitatis: ita eiuſdem puritatis gratia Filium ſubſtituit Virgini. Ducebat ergo illa Cęlis ſublimior, imò vero & ipſis Seraphim longè excellentior, vitam ab omni faſtu alienam, & quauis inani gloria, tenui, vilique gaudens victu. Nā ſicut antequā eſſet, magnis illis aucta crementis ab eo, qui potens eſt, ingentique ac præexcelſa Gabrielis Salutatione affecta, rerum terreſtrium nulla videbatur illi magnifica, nec erat, à quo eius animus allici poſſet, ſed aſpernabatur omnia, ſoloque cęleſtium tenebatur affectu, Deique feruentiſſimo amore, cui etiam, ſupra quam dici poſſit, coniuncta eſt: ita quoque poſtquam Deum Verbum enixa eſt, & genus humanum in cœleſtem gloriam euexit; eiuſq; filius eò aſcendit, vnde nunquam fuerat abſens; inferiora omnia contemnebat, & caduca omnia, quorum præſentia ſuperbiunt homines, nihil animum illius afficiebant. Imò verò, vt egò ſanè arbitror, poſtquam immenſam illam, & inenarrabilem accepit gratiam, vt Deū vtero ferret; maiori quam antea vi exar-

ſit vehementiſſimi amoris flamma in pu-r ſſima Virgine erga Deum, reſque cœle-ſtes; Vtque terreno aliquo vtar exemplo; ſicut vnigenæ cuiuſpiam Mater, non fer-tur pari amoris pondere in filium ſibi iã præſentem, & antea votis expetitum, quando materni nominis deſiderio fla-grabat; liquet enim iucundiorem eſſe prolem ſuſceptam, quam ſperatam: Ita & multo maxima differentia copioſioris ſtudij de intemeratiſſima Virgine ſentiẽ-dum eſt. Si enim hoc in luto valet, quid de ſublimi illa, diuinaque ęconomia di-xero? Et quemadmodum qui cupit ſacro intingi lauacro, ſanè lucidior eſt, poſtquã illud fuerit aſſequutus, & è ſuſcepto my-ſterio feruentior ad Dei amorem; pari ratione quoque de illis affirmandum. Quando verò etiam diuinus, adeoque di-lectus Filius à ſacra Matre ſe ſubduxit, quo ſenſu talem Matrem putas affectam? neminem arbitror effari poſſe, aut mente capere, quanta vis fuerit amoris eius poſt Aſcenſionem, in illum, & quæ illa amica erant. At quoniam ante admirabilem partum, dictum ipſi fuit ab Angelici E-xercitus Duce: *Inueniſti gratiam*, pre-

mium

Digitized by Google

mium ſcilicet digni Deo amoris, ac virtutis inuſitatum partum: Oportebat etiam alio quoque frui Virginem præſtāti pręmio, quippe quæ ad diuini amoris gradū altiorem, & diuiniorem conſcendiſſet: quod profectò non euenit; cauſa eſt, quia ſublimius in hac vita nihil eſſe poterat, eo quod iam aſſequuta erat. Quoniā ergo nihil excellentius reperire hic fuit, reliquum erat, vt migrans in Cœlum, clarius ſupra omnem captum, Filij, Deiq; virtutibus, ſplendoribuſque frueretur: nouam enim potionem quandam Saluator promiſerat ſe bibiturum cum diſcipulis in Regno Patris: nouam potionem, arbitror, intelligens, expreſſiorem guſtum coniunctionis cum Deo, quam bibētibus Iuſtis gaudet Deus: & hoc ipſum, gaudiū, inquam, Iuſtorum, Deo eſt potio; ideò compotaturum ſe cum fidei præconibus dixit. Quod ſi fructus hic non eſſet recōditus, amor quoque antea in Deum non potuiſſet illum capere incrementum, cū ipſa mortalem adhuc viueret vitam, vt ineffabilius præmijs cumularetur in Cęlo. Et ſi futurum non erat, vt alijs quoq; afferret vtilitatem, certè Vnigenitus Filius

lius eius abſcedens, Matrem quoque ſuã, puto, aſſumpſiſſet ad ſuperos. Quod verò, vti ſupra diximus, pro rerum Diuinarum amore Virgo immaculata vitam agebat frugalem, omnis oſtentationis expertem, hinc etiam perſpicere licet: nam licet etiam ſuapte ſponte talis non extitiſſet, qualem expoſuimus, omni genere humano ſublimior in contemnendis rebus caducis; certè quia illum peperit, cuius optimè norat, quantus eſſet virium theſaurus, quàm verò tenui vita fuerit vſus; quodque cum liceret ei miniſtris vti, miniſtrare voluerit, & vltimo loco docuerit eſſe eos, qui primos optant: nullo modo poterat ab humilitate Domini deflectere. Propter hæc igitur demiſſa ſemper amabat, quibus nihil excellẽtius; & fluxa pro nihilo ducebat; depreſſamq; nimis, vt dictum eſt, ſine tumore vitam viuebat. Hanc in terra cœleſtem vitam
3. traducenti Virgini, de 3. Aſcenſu eius ad altiſſima nũciat Angelus: Hunc faciũ fuiſſe Gabrielem tradunt: huiuſmodi quoque verbis tunc vſum: Rerum conditor, Dei Verbum, Deus, & Filius tuus, ad ſe te vocat, ò Virgo, poſt triduum, ò

lau-

Digitized by Google

laudatiſſima; excelſus, vt te ſuſcipiat, paratus eſt locus. Nuncius hic etiam, ò Puriſſima, felix, & gaudij plenus eſt, qui primam tibi attulit ſalutationem; nihilominus lætam alteram affert. Sicut enim illa plena fuit lætitia, quia deſcendentem in terram ſola portaſti Creatorem: ita nunc etiam Aue, ò Benedicta, quia ſolus te Vniuerſorum Dominus excipiet aſcendentem in Cœlos, vbi voluptate ineffabili perfunderis, Deoque digno contubernio perfrueris: Diuina verò te, & ſempiterna ſpecioſitas ſuperaffluenter ſplẽdidam reddet. Indueris enim immortali vita, tanquam ſplendida veſte, ineffabilẽ tribuente voluptatem; nimirum, exultationem cum Filio tuo, & Deo in omnem ęternitatem. Aue igitur fulgentiſſime Sol Puritatis; Aue Alabaſtrum odoris nũquam defuturi pleniſſimum: Aue Horte vitalis facultatis largitor, ferens immortalitatis fructus: Aue, quòd & incorporeos efficis lucidiores, dum huiuſmodi nuncia afferunt, id quod ego experimẽto didici. Symbolum porrò indeficientis, ſemperque virentis in te iucunditatis,
4. hunc Palmæ ramum tibi do iuſſus. His

di-

dignissima Deo Sponſa auditis, accepit ab Angelo ramum, & perſuſa gaudio, ſuauitatiſque rore, ſpirabat lætitiam, & voluptatis halitum emittebat; iucunditatiſque plena, omni ex parte ſigna exultantis dabat. Quidni enim, talia ſibi aſſerente Nuncio? Qui licet à priori differret, attamen & ipſe ſtupendus erat; Vt Virgo Creatori, & Filio ſuo adhæreſceret, rurſuſque iungeretur, & diuiniloquam, filialemque audiret linguam ſuper omne dulce ad Matrẽ gratioſiſſimè fluentem. Idcircò aſcendit in Montem Oliueti fundendæ orationis cauſa, gratiarumque Domino reddendarum, quod iam vocaretur ad ipſum. Solebat autem illuc crebrò ire, & quaſi Mons animatus eſſet, illum alloqui, & cum eo ſermones habere; & velut ad ſui dilecti Filij, Dominique amicum accedere. Ibi enim & meus Ieſus ad Deum, & Patrem orabat. O ineffabilem in homines amorem, tegumentũ è luto compactum gerens! Itaq; aſcendit, vt dictum eſt, vltima Creatori perſolutura ſalutationis officia, et orantis preces. Inſolitum tunc ergo viſum eſt ſpectaculum, et auditu horrendum, vna tamen

Vir-

Virgine dignum. Aſcendebat, vt enarra-
ui, orandi cauſa: dumque illa aſcenderet,
multitudo plantarum ibi poſitarum,
ſuo in ſtatu manebat; nihil enim agebat,
quaſi ſenſu prædita, ſeu rationis compos.
Vbi autem Virgo inclinans ſeſe moue-
bat, & manus, & genua in terram flecte-
bat (ò rem nouam, & admirandam!)
5. plntæ illæ, & arbores, quaſi miniſtri 5.
participes mentis diuinæ, ſimul omnes
famulabantur, tanquam pudore ſuffuſę,
niſi ſummam reuerentiam exhiberent, vt
illam, qua ratione poſſent, palam ſignifi-
carent. Conueniebat enim omne genus
flecti puriſſimæ quoque Virgini propter
excelſum eius Nomen. Sylua igitur illa
procubuit; & quaſi vltimum vale dicens
abituræ, adorauit; & videbatur quidem
deducere, ſed quaſi lamentis & luctu tri-
ſtis eſſe, quòd peregrina ſanctitate priua-
retur: qua per Virginis præſentiam frue-
batur. Poſt expletum orationis opus,
Domum ſe Beatiſſima recipiebat: & ecce
tibi rem inſolitam: 6. Quatiebatur enim 6.
Domus, & quod nunquam illi contige-
rat, tunc tota contremuit. Gemitum
arbitror illum fuiſſe, ſignificante, loco

plan-

planctus,per illam concuſſionem,Domo, quòd migratura eſſet ſanctior vniuerſis, & incomparabili pulchritudine pollens inhabitatrix. Quod ſi maiori gloria ſuper terram opus fuiſſet Virgini, futurum fuiſſe exiſtimo,vt & Cœlum, & Terra,& Mare, & vniuerſa tunc creatura, luctum vnaquæque ederet, & contremeret, & plangeret,& grauiter ingemeret propter illius migrationem: viſuſque fuiſſet vltimus terræ motus adeſſe, cuius horrore, & mortuos audimus excitandos, vt & in aera ferantur: parumque diſtaret ab illa concuſſione, generalis commotio luctus ob Virginem; ſed quia ſummum ipſa gloriæ, ſplendoriſque gradum aſſecuta erat, vt Deum enixa; nihil opus erat, vt nouo tellus motu quateretur, inſtante ſacra Dormitione Virginis. Poſtquam ergo Domus è motu quieuit, migratio autem Virginis fulgentiſſimi luminis erat opus: multa lumina Virgo accendit, quorum tota domus fulgeret ſplendoribus. Per hoc autem,vt puto, ſignificabatur Angelorum aduentus:Miniſtris enim Dei,quippe vt igni vrenti, congruit lumen,quo nihil magis proprium erat è terrenis rebus,

ad

adexcipiendas hoſpitio mentes; cum alioquin & ipſi lumen eſſet valdè conueniens, quæ omniũ lucidiſſima erat. Dein de perpurgata verriculis Domo, diſpoſitoque ſacro lectulo, in quo venerabile corpus eius quieſcebat, paratiſque omnibus funeri neceſſarijs, vicinas ſibi conuocat amicas, duas nimirum inopes Viduas, conditione quidem obſcuras, verùm familiaritate Reginæ Vniuerſorum, eiuſq; accepta hæreditate, vt paulò poſt dicemus, opulentis, nobilibuſque feminis feliciores. His igitur migrationem ſuam notam facit; aperit Angeli verba, Filij & Saluatoris ſui narrat miſſum ad ſe Nuncium, ramum oſtendit, poſtremiſque verbis conſalutat familiares. 7. Duas, quæ 7.
ipſi erant veſtes, vtrique Viduæ dat: nullum quippe Theſaurum poſſidebat Virgo, niſi ſupremarum virtutum opes, & ſi quid neceſſitas exigebat. His auditis honeſtæ mulieres, magno planctu ingemuerunt, intima dederunt, & amara ſuſpiria; lacrymarum riuulos miſerunt ex oculis, nec ferre poterant cordis auulſionem. Quo verò migratura es (aiebant) ò Domina? Vbi nouum tibi Domicilium elegiſti?

ſti? Quem tibi congruentem paraſti locùm? Quæ prati amœnitas, delicioſiſſimis floribus abundans excipiet tuam honorabilem pulchritudinem? Quis omninò locus fulgentiſſimo, ſplendidiſſimoq; tuo corpori ſit aptus? Quomodo tellus, & mare, & quæ terram ambit, Vniuerſi pars diſceſſum tuum non deflet? Quomodò inconcuſſa elementa ſtant, diſſolutionem videntia magni Elementi, quo illa maximè continentur? An certè migrationem tuam gaudiũ ſibi allaturam ſperant, ſibique poſt ſolutionem quoq; tuã, afferre, qua contineantur, moderatricem prouidentiam expectant? A te enim nihil vnquam profectum eſt, quod aduerſitatẽ attulerit, aut mœrorem, aut caſum, aut dolorem: ſiquidem è præteritis ſatis fidendum eſt de futuris. At illa quidem etiam his de cauſis gaudent: Nobis verò, quantum, heu! imminet malum, quanta calamitas! O acerbam diſiunctionem! O luctus ac doloris ſpectaculum! Quis in poſterum nobis ſolatio erit? Quis malorum ſubleuator? Imò verò quis Magiſter, & ſalutis Auctor animam illuſtrans, cogitationes purgans, mentem illuminans,

quæ

Digitized by Google

quæ nobis, Domina, præſtabas? Aſcenſio in Deum, & manu, & lingua ſapientiam docens? Quomodo Sol, vel quæuis alia lucidiſſima res, iucunda nobis videri poſſit, iucundiſſimo tuo aſpectu, & familiaritate orbatis? Verùm te, parens omnium Regina, ineffabilis copia excipiet, & circundabit gaudij, quam mens liberè omnia delineans, non valet ſibi depingere. Et quidem veluti chorus, iuncta voluptatum omnium corona, nulla defatigatione agens tripudia circumſaltabit te ſuauiter circumambiens. Tuum porrò eſt, ò ſummè venerabilis Regina, & hoc, vt multum quoq; in nobis dolorem lenias, noſque lætifices, ne omnibus in ſacro tuo etiam exceſſu gaudium capturis, doloris telum hoc nobis ſolis poſthabitis infixum inhæreat. Ad quas Virgo: Vobis quidem, inquit, amicæ dolorem affert mea migratio, quod ex vehementi veſtro amore in me oriri ſat ſcio. Sed ſi diſceſſio mea diſiūctio tantum eſſet, & ipſa ego non mediocriter dolerem, abſcedens, & relinquens quas vnicè amabam, quarum ſtudio delectabatur, quarum in melius aſcenſionem, meam putabam. At quia Dominus, qui

omnes res meas euexit ad miraculi altitudinem, poſtremum hoc etiam, probe ſcio, adijciet, ſuperioribus reſpondens; pro certo habetote, me à vobis non receſſuram, Amicæ; imò vos vberem voluptatis fructum percepturas. Itaq; omiſſo luctu, & nimio planctu; communi voce laudemus potentem, tùm ob alia multa, túm ob patrata in me magnalia, quouis vocaliſſimi æris ſonitu clarius denotata. Dum hos puriſſima Virgo ſermones haberet, & familiaribus dulcedinem inſtillaret (nam lingua eius, Deo mouente agebatur, & ad ſuauem fluxum verborum formata erat, vt audientes, motu voluptatis demulceret) inſonat repentè Cœlum fragorem edens tonitruum, ſuoque ſtrepitu, tanquam indice, ſurgere iubet Dei Matris funeri miniſtros. Nubes verò circumferebantur, nouum vehiculi genus ſeipſas acri ſtudio ſubſternentes curatoribus exequiarum. *Mandauit* enim *nubibus deſuper*, inquit eximius Dauid, *& virtus eius in nubibus*: Inditum, arbitror, præſignificans robur, quo præcones delati sũt. Oportebat enim moueri, & quãdo ſuſcepturæ erant quodammodo rem nouam, hæc

Pſal. 77.
Pſal. 67.

hæc quidem adaperiri, quaſi ampliora ſeipſis facta; illa verò cedere reuerentię cauſa: & hæc quidem ſubſequi; alia verò ſibi ſumere ordinem præeuntium: ac proindè ſtrepitum, vt ita dicam, in ſupernis erumpere: inferiora verò nullam commouiſſe turbam, & quieta fuiſſe, non mirum: Cœlum quippe, nempe vt mox ſuſcepturum pretioſiſſimam rem, admirabilemque theſaurum, meritò turbabatur, nec poterat otioſum eſſe, tanquam inquirens, & ſeipſum turbans, vt habitationem dignam Dominæ aſſignaret. At verò tellus idcircò nulla fuit commotione turbata, quia ipſa Virginem nouum produxerat hominem, diuque illam portauerat, vt congruens eſſet, in conſuetis, licet admiranda eſſent, non perturbari. Præterea non ad longum tempus retentura erat Virginem mortuam, ſed quamprimum ad ſuperos tranſmiſſura, vt ſeſe excelſorum æmulam magnificè præſtaret, oſtendens quale humilis locus humanum formauerit ſimulachrum, & cœleſtibus ſublimius. Propter hæc igitur, vt dixi, mouebatur, dabatque tonitrua Cęlum, atque in excipienda Beata Virgine

totum erat; & circumſtrepentibus illis tonitruum fragoribus,inſtar tubarum in prælijs ad congreſſum excitantium, Virginis miniſtri, quorum aures ſtrepitum agnouerunt, quaſi præcincti milites conſcenſis nubibus, vt equis,in viam ſe dabant, ad amicas acies properantes, An-
8. gelorum, inquam,Exercitum. 8. Et fit per nubes admirabilis ille conuentus.Cũ enim præcones,alius aliam regionẽ terrę teneret, ad mandandum vti ſulcis, animabus infidelium incorruptibile ſemen ſalutis; tunc omnes mirum in modum conuenerunt in Domum Virginis, mo-
9. mento aduecti: nec ij ſolum; ſed & 9.cœleſtium ille doctus enarrator Dionyſius
10 Areopagita,& 10. ſublimis Hierotheus,
11 & 11. admirandus Timotheus; necnon
12 12. Sionis Eccleſiæ tunc Præſul Iacobus eximius. Affirmant quidam quoque ſeptuaginta affuiſſe Diſcipulos, qui ad myſterij conſortium vocati ſunt, vt ſua lingua perferrent ad alios alia quoque myſteria; nimirùm eorum, quæ tunc gerebantur,mirificè ſpectatores facti. Et hos quidem habuit è terra profectos puriſſima Virgo: 13. è Cœlis verò accurrerunt Exer-

Exercitus Angelorum, & vniuerſus Iuſtorum cætus iam in beatas ſedes receptorum, multitudo innumerabilis, debitum communi Dominæ obſequium exhibituri. Quomodo enim Creatore, ſummoque Legislatore, qui parentes honorandos præceperat, ſuam legem ſtudioſius ſeruante, quàm cæteri omnes; & Deo profecto ad honorandam Matrem, & ſanctiſſimam eius excipiendam animam, non concurrerent omnes, & tanquam puri famuli puriſſimæ, vt ſeruos decet, funus, & exequias, & ſacrum illud opus proſequerentur? Certè & Terra, & Mare, & Sol, atque inferiora omnia ſimul permota fuiſſent; niſi, vti diximus, iuſsum illis fuiſſet quieſcere: Quòd intemeratæ Virgini non opus eſſet gloria proueniens ex inferioribus; nec planè conſentaneum erat, migrantem ad ſuperos, indigere miniſterio inferiorum. Celeſtes verò deſcendere oportebat, ſicut factum eſt, vt quam aſſumpturi erant, illi ſuum miniſterium iure præſtarent. Quod verò cętum Apoſtolorum terra dederit participem miniſterij, idcircò factum eſt, quia illi æquales Angelis erant; viuebant quippe

ſoli Chriſto, & Spiritu cœleſtia colebant: & inde erat, quiſquis illis amicus erat: quamuis terrenum eorum amiculum adhuc in terra volutaretur. Quocirca illuſtres illos viros, nequaquam inferiores ſuperis dixerit, qui ſapit: quanquam compoſitio quoque Virginis ex anima, & corpore congruenter & cœleſtium, & terreſtrium miniſteriũ exigebat, vt reipſa contigit. Et eximij quidem illi erga aſpectabilem Beatiſſimæ partem ſuo miniſterio fungebantur, vtpotè adhuc terreſtres; licet ad præſtantiorem, ſublimemque portionem ſpectarent. Animæ verò ſacroſanctæ, & immaculatiſſimæ famulatũ præſtitit omnis cęlorum incola, terraque excelſiór. Arbitror autem eorum quoq; altiores, & ſplendidiores miniſterio fuiſſe perſunctos. Quamobrem à diuino Dauide dictum puto: *Vultum tuum deprecabuntur diuites plebis*. Diuites enim illos ſignificat, qui virtutis præſtantia cæteris antecellerent. Sanè mihi videtur, nihil etiam opus fuiſſe Virgini è terræ plagis ſublimi Apoſtolorum aduentu, niſi conſilium hoc fuiſſet, nimirum, vt nobis fieret notum, Angelicam quoque multitudinẽ

Pſal. 44.

ad

ad hoc miniſterium concurriſſe: ex eo namque, quod manifeſtum admirabiliter omninò contigit, certum quoque eſt, quod non videbatur. Quemadmodum Saluator Paralytico prius dixit:*Dimittuntur tibi peccata tua*: Et mox argumentum addidit: *Tolle grabatum tuum, & ambula*. Io. 5.
Vbi verò Diſcipuli Domini, & totus ille ſacer cętus, quem commemorauimus, in eum, quem diximus modum, Virgini mirabiliter præſto fuerunt: & alter ab altero audiebant, qua Orbis ex parte, mirum quiſque in modum concurriſſet: rapti per aera, momento in eundem locum conueniſſent; admirati ſunt omnes vna cũ Beata Virgine. Quod etiam B. Dauid olim modulando cecinerat, cum dixit: *Quis in nubibus æquabitur Domino?* Et cum Psal. 88.
Saluatori gratias egiſſent tum ab aereum illum volatum, tum ob multa alia; quodque Virginem reperiſſent non egreſſam de corpore; ſed digni eſſent habiti, qui & ſuperſtitem adhuc viderent, illoque miniſterio ſanctificarentur, hiſce ad eam verbis vſi ſunt. Quid te dignum, ò Domina, lutea noſtra lingua contexat? Quã laudationem, noſtræ mentis fructũ, con-

Digitized by Google

uenientem dabimus tuis formoſitatibus?
Quem plauſum tubæ inſtar vehementis,
reſpondentem ſatis eximijs tuis operibus
offeremus? Quibus inuentis præconijs,
exiſtimemus illa dignum tibi eſſe ſplen-
dorem? Propter te Dominus, ò Puriſſi-
ma, Cœlum produxit, Terram fundauit,
Mare, Solem, & omne ornatum Mundi,
Mundumque creauit. Propter te ſubſi-
ſtit omnis noſtri ordinis diſpoſitio: Tu
enim es, quæ meliorem ſtatum omnibus
dediſti. Vt verò melior fieret, & potiorẽ
ſtatum aſſequeretur condita fuit creatu-
ra à Creatore: propter te nos quoq; Glo-
rioſiſſima. Neque ſolum hoc, ſed propter
te etiam peruenimus ad agnitionem Dei,
liberati ab errore, ac tenebris, & bonorũ
ineffabilium poſſeſſionem expectamus.
Et niſi per te è tenebris eruti acceſſiſſe-
mus ad Diuinitatem, profectò non fuiſſet
nobis optabile omninò eſſe creatos. Pro-
pter te patrata ſunt admiranda: & Deus
terram pedibus terere non eſt dedigna-
tus; & homines in Cœlo fixerunt taber-
naculum. Tu fulcrum proſperè nauigan-
14 tibus ad Deum, & lumen, & 14. ſuauis
quædam Aura lenitèr ſpirans, vt facilius
aſcen-

Digitized by Google

aſcēdamus. Tu egenis mercatoribus gubernatrix ad Deum: Tu genus à gehenna eripuiſti, & Paradiſum dediſti. Itaque propter te percipitur ſi quid in hac vita iucundum eſt; & ineffabilis futuræ vitæ nobis lætitia conceditur. Verùm, quamdiu ſanctiſſimam tuam, ò Domina, formã cernere nobis licuit, & per eam ſanctificari, tuiſque perfrui gratijs; videbamur nobis cum Filio tuo, & Saluatore vitam degere, & ineffabili voluptate repleri. Etſi enim aſcendendum ille ſibi duxit, quod & fecit; ſeiunctioque illa vitã nobis dolore opplebat; Sancti tamen Spiritus aduentus, tuaque præſentia, ò Puriſſima, ſumma nos voluptate perfuderunt, ſuppleta abſentia Saluatoris. Quibus porrò noſtrum non fuerat datum, vt Dominum coràm inſpicerent, loco eius erat lucidiſſima tua facies, & videbant in te omnes, te, & viſcera tua, Chriſtum. In ſumma tu nobis conſolatio eras, & iucunditas incomparabilis. At quia nunc Creatoris nutu, poſtremò nos alloqueris, & intueris: pænè intolerabile malum eſt, & calamitas maxima. Nam contorquetur in nos velut haſta, infligens cordi acerba

do-

doloris vulnera; & videmus flammam capiti noſtro minitantem incendium. Gladius acutus iam noſtram pertranſijt animam, non minor ferè illo, quem B. Simeon prædixerat tibi, ò ſpectatiſſima. Non amplius nobis huiuſmodi calamitas tolerabilis eſt: non amplius præſentis ærumnæ acerbitas animum noſtrũ quieſcere ſinit: non amplius præ doloris magnitudine facere poſſumus, quin decidamus, & infirmitatis præbeamus indiciũ. Quomodo enim linguam ſilẽtem videre poterimus, cuius dulcis, & mellifluus ſonus Deum in terram deſcendere fecit, nobiſque ab ijs, quæ ab infidelibus inferebantur, moleſtijs, maximo erat ſolatio? Quomodo & Sol ipſe oculos carentes lumine aſpicere poterit, quorum pulchritudo ac ſplendor, lumini nunquam occidenti annexi ſunt, illique adhæſerunt, & in fines terrarum Orbis fulſerunt? Quomodo terra quoque nobiſcum immobiles videbit manus, quæ Creatorem baiulauere, quem capere, quantumuis decies millies tanta eſſet, adhuc tamen negaret ſe poſſe? Sed, vt veriſimile eſt, hanc quoque calamitatem nobis tempus recondebat.

bat. Etenim Creatorem antea tractum, denudatum, flagellatum, (ò tuam, Domine, longanimitatem!) mortuum in ligno Crucis vidimus: & nunc, (ò rem miraculum excedentem!) Matrem eius mortuam & videre, et ſepelire nobis contingit? Quomodo ergo non lacrymari poterimus? Quomodo nõ ſuſpirabimus? Quomodo non lugebimus, dulce lumen, iucundum florem, vnguentum fragrans, pratum pulcherrimum, Dei receptiuum Tabernaculum, Phialam Deum ferentẽ, Speculum diuinum ac lucidiſſimum, Simulachrum admirabile, verè omnibus vitæ, et cuiuſuis alterius boni cauſam, abeuntem, diſcedentem, migrantem, heu, ſpiritu carentem videntes? Quomodo nõ erit nobis triſtitiæ cauſa ſeparatio tua? Quomodo priuatio tua dolore nos non afficiet? Quomodo non erit amarum? Quomodo non eſt horrore plenum, Vas, quod vitam largitur, mortuum, immobile, et voce carens, ſepulturæ tradere? O terra, concutere; et Sol, induere atris; Cœlique ordo rumpitor; et qualem in ipſius Vnigenito, ob terribiliſſimam illius mortem; eandem nunc quoque triſtitiam
oſten-

oſtendite. Verùm te, ò Dei Mater, inenarrabilium bonorum excipiet circulus: lætitia ſupra mentis capacitatem circundabit: gaudium, cuius menſuram nec mens humana concipere, nec lingua exprimere poteſt, comitabitur, & aſſequens circumquæret, & æternùm in eo cubabis. Idcircò, vt arbitramur, nec Vniuerſum hoc conquaſſatum eſt, ſed quaſi gaudet, & tanquam nulla re noua, & admirabili facta, ſuum conſeruat ordinem, & proprium terminũ. Tuæ igitur eſt, ò diuina gratia plena, animæ, atque potentiæ, & mȩſtitiam à nobis expellere, tuaſque nobis inſpirare gratias, quoniam omnia nũc tua migratione benè ſe habent. Quoniã autem huiuſmodi locutiones lacrymarũ fluxus exhauriebant, qui Dei præconum internæ flammæ erant nuncij; condoluit quidem paululum & B. Virgo, lacrymaſque emiſit de oculis. Superato autem dolore: Non lacrymarum, inquit, præſens tempus eſt, ò communis Domini Miniſtri: Non luctus eſt cauſa migratio mea: Meus in Cœlum aſcenſus non eſt ſuſpiriorum effectiuus: Meus ad Creatorem & Filium meum ſeceſſus, non eſt mȩſti-

ſtitiæ cauſa. Illud ſolum erat triſte; Iudæorum in Saluatorem contumelia: illa triſtia, quæ creatura ingrata, præter ius & legem, aduerſus Creatorem debacchata eſt: illæ magnæ afflictiones, denudatio, tormenta, in torquendo flagella, illuſiones, & demum (ò terra, & Sol) illa deteſtanda mors. Qua iniuria affecti ſunt, de qua poſſent conqueri? Imò & beneficiorum multitudo, & miraculorum nouitas debebat eorum prauum animum corrigere. Quæ autem poſt illa, & circa nos facta ſunt, omnia ſunt gaudium, voluptas, delectatio, feſtiuitas, & candida quædam dies. An non videtis ſacros Angelos alacres venientes, omnique ex parte venuſtatem indicantes, per quam ſuauitas, beneuolentia, ac manſuetudo ipſis inſidet; noſque ſuauiter alloquuntur: & quandam rem ſacram, meum hinc diſceſſum nunciant? Nonne videtis Iuſtorum Exercitum ſplendore circumamictum, & quaſi ſalientem, exultantem, placidè alloquentem, meamque expectantem diſſolutionem? Non ergo ſentire oportet, nec facere, quod adſtantibus Angelis, Sãctiſque contrarium eſt. Non eſt tempus lu-

lugendi, nec Tragędias recitandi, cum cęleſtia Creatori congratulantur: nec, dum oportet feſtum agere, lugubris cantus exponendus eſt. Non dignum eſt ea, quæ omni plauſu, & ſalutatione ſplendidiora ſunt, lacrymarum effuſione fuſcare: nec eſt rationi conſentaneum, demiſſum quid, & doloroſũ ſentire, aut loqui; cum ineffabili nunc quoq; modo, vt Deũ decet; Creator cum infinito exercitu ſuper nos exiſtat, vt mihi iterum, vtpote potens, magnum afferat gaudium. Imò verò exultare oportet, & Muſicorũ more, canere magna cum lætitia æquum eſt:
Luc. 2. quoniam ex nunc etiam *omnes generationes beatam me dicent*. Et Intelligentiarum quidem multitudo cum altis cantibus ſaliet pro nobis: humana autem lingua eodem modo gaudens, magnificis me extollet encomijs. Quod ſi vobis, ò Creatori Coniudices, nunc moleſtum ac triſte, meus videtur ſeceſſus; hoc breui erit, vtpote carnis adhuc cedentibus legi: paulò verò poſt, nondum etiam è terra diſcedentes, magnitudinem gaudij experientia diſcetis, et lætitiam, pulchritudinemque, quæ hinc orietur, magnumq; veræ

vo-

voluptatis pelagus, laudibus extollere non valebitis.... Sed iam tẽpus eſt (ò amici) Creatoris miniſtrare ſuffragio: et meo quidem corpori iuſta facietis, ipſumque ſepulturæ tradetis: Creator autem, et Filius meus, vt Deum decet, ſpiritum excipiet. Ad hæc benedictionis ipſos puriſſima Virgo particeps facit, et eorum animos alacres reddit, omnibuſque ſalutem optat, et pacem. Et poſt hoc ſoluitur quidem ſanctiſſima anima à ſanctiſſimo illo corpore: in manibus autem Vnigeniti eius Filij, et omnipotentis reponitur. Et ſanè Dei præconum aures inenarrabilibus hymnis inuiſibiliter plenos, illicò licebat videre. Etenim regio, quæ inter Cœlum et terram extitit, Sancto conuentu tota erat repleta, qui ſimul cum Domino ferente diuinam illam animam aſcenderet; et puriſſimæ Dei Verbi Matri ſacros cantus, omnem ſermonem, modulationemque ſuperantes canebant. Hinc capaces eorum cantuum aures voluptatẽ capiebant, ſanctificatione replebantur; nec amplius poterant otioſi eſſe Apoſtoli; ſed ſuum quiſque animum præparabat, et excitabat, ſimulque cum Angelis ca-

canere, et cantibus quos audiebant, quātum fieri poſſet, congruentia connectere, et modulari meditabantur. Idcircò *admirabilis ille Hierotheus* (vt Diui Dionyſij verbis vtar, qui ea, quæ viderat, ſine vlla mutatione teſtatur) *totus à ſeipſo alienatus eſt, propter eorum, quæ canebantur, communicationem: & ideo ab omnibus ijs, à quibus audiebatur & videbatur, ſiue cognoſcebatur, ſiue ignorabatur, afflatus numine, & diuinus Vates exiſtimabatur.* Quod etiam de omnibus non immeritò dicendum eſt, qui ad illud vitæ, et Dei receptiuum corpus ſepeliendum concurrerunt, cœleſteſque hymnos ſenſerunt. Quiſnam enim non excitaretur ad gaudendum, plaudendum, ac laudandum, et inter cœleſtes Cantores cenſeri non deſideraret? ſi poterant de terra ſurſum volare, quorum apertæ aures ſuaues illos, et ineffabiles hymnos capiebant, quos Cherubim, ac Seraphim, omniſque Angelorū cętus, necnon Primogenitorum Eccleſia, ſecundum Apoſtolum; (ideſt Patriarcharum, ſimulque Prophetarum, Iuſtorumque animæ in cęlis ſcriptorum) puriſſimæ, aſpectuq; diuiniſſimæ Animæ ornatè,

De Diu. Nom. c. 3

tè, ſuauiterque canebant, et modulabantur, venuſtèque, ſanctè, & ineffabiliter contexebant? Quando & Creatore præcedente, ſumma cum voluptate, & gaudio, immaculatam ſuæ Matris ferente animam, qua nihil ipſi ſuauius, nihil pretioſius erat, nec erit vnquam, tota illa ſacra coordinatio, quidam præcedentes,& alij ſubſequentes, modeſtum ſeruantes ordinem, omnes ſuauem, & ſupra mentē concinna conſonantia cantilenam modulabantur: ſimulque cum admiratione iucundis cantibus laudandæ Virginis prædicabant magnificentiam. Quando proculdubio audiebatur,quod cœleſtibus iubebatur virtutibus, ianuas Cœli omnes aperire Reginæ, qualiter Chriſto prius aſcendente factum eſt: & rurſus ineffabilis hymnus, & ſuauiſſimus cœleſtium canitur ianitorum, cœlis ſublimiorem Virginem lubenter excipientium, & ſupra cœlos magno cum honore deducentium, magnificèque inſolita illa ſpectacula admirantium: Quando & ſoli Dęmones ſuſpirabant, vndequaque expulſi, & à ſanctificatione, qua totus aer erat repletus, tanquam ab igne impulſi, tenebras ſibi

I cha-

charas, & ſubterraneas habitationes tanquam proprias,& percelebres quærebāt. Propter hæc omnia igitur non immeritò, vt diximus, quilibet illorum auſcultatorum, tunc à ſeipſo alienatus fuerat, & vt quiſque eleuatus fuerat ad contemplandum Deum, eiuſque Matrem, cum cæleſtibus tubis, diuiniſque cantibus contendebat. Omnes igitur numine, mira nouitate, afflati, vt dictum eſt, ineffabiles, noſtramque rationem ſuperantes cantus cū Angelis ſimul canebant. Sed his ſic ſe habentibus, primates Apoſtolorum, B. Virginis tollunt Cadauer (ſi ita dicendum eſt illud vitæ receptaculum, corpus, Dexteræ Altiſſimi habitaculum, magnus, luciduſque repoſitus Theſaurus, Arbor præclara, & ſupercæleſtis, omnique gratia plena, puriſſima, atque tutiſſima Arca, quæ ſolum immaculatum ſuſcepit.) Tollunt ergo ſuper lectū iacens, carens quidem voce, quemadmodum ij, qui ex puluere facti ſunt, omni tamen tuba clarius ſuam magnificentiam manifeſtans, & gratijs pluſquam Sol fulgentibus relucens, & ad Sepulchrum (in Gethſemane autem eſt) ibant ferentes, ſacroſque hymnos

ſua-

Digitized by Google

ſuauiter connectebant, non vt moris eſt fieri in aliorum funeribus, interceſſionē dico ad Deum, vt Defuncto propitius ſit, eique remiſſionem peccatorū, & requiei locum concedat, vnde *aufugit dolor, & mæſtitia, & ſuſpirium*, ſecundum B. Iſaiā: Eſa. 35 vbi enim puriſſimę, & immaculatę animę huiuſmodi cantilenis opus erat? alios, inquam, hymnos, vt excellentiores, & excelſiores canebant; & quales Spiritus Sāctus inſtar plectri, eorum animas, tanquam alias cytharas ad canendum, vt Deum decet, mouebat; Beataque Virgo, quæ iacebat, & ſuper humeros ferebatur, largiebatur, ipſoſque illuminabat. Ea autem, quæ canebantur, vt in parua imagine adumbrata repræſentemus, erant quęcunque de ſummè laudanda Virgine antiqui Typi præfigurabāt: Tabernaculū, & Arca, trophæaque Moyſis, ac prodigia, aliaque, per quæ Hebræis & erat, & videbatur grauitas; & quæcunque Prophetarum inſpirationes, diuina operatione prædicauere. Deinde etiam præclara illa, quæ circa ipſam facta erant: quod magnificè ex hominibus nata fuerat, locus inacceſſus, quem habitabat; quod

Digitized by Google

cęlitus nutriebatur: qualis fuerit ſalutatio, quam acceperat: admirabilis ille, & ineffabilis partus: noſtrum, quod admirabili modo ab ipſa Creator circumamictus eſt, indumentum: Noua, quæ ab ipſa emanauit, Creatori menſa: Quod Diuus Dauid prædixerat, de ipſa ſola mihi videtur dixiſſe, quamuis de omnibus nunc di-
Pſal. 118. citur; illud ſcilicet: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirent eũ*. De quo enim congruentius, quã de puriſſima Virgine hæc dici poſſunt? Erat itaque & hoc non parui momenti Dei præconibus ad laudes incrementum. Item, vt D. ait Dionyſius,
De Diu. Nomin. c. 3. *Diuinæ fortitudinis bonitatem infinitæ potentiæ laudationibus extollebant*. Manifeſtant autem hoc aſperrimæ illæ, & flagitioſiſſimæ paſſiones, quas meus Ieſus propter me philoſophatus eſt. Huiuſmodi igitur canebant laudes, quas nos canere nequimus: ſufficienter enim dicere, illorum opus eſt voce. Sic eximij illi cadaueris comites, valdè ſanctè glorificantes, viam peragebant. Sed haud erant tolerabilia hæc inuidiæ; nec prauus animus

bo-

Digitized by Google

boni ſuſionem poterat ferre; nec malitię
inuentor quietè contentus erat, cum vi-
deret ſanctificationem tanquam alium
aerem extendi; & ideò promptum popu-
lum malitiæ miniſtrare, idoneum inſtru-
mentum ſceleſtorum facinorum, capa-
ciſſimam officinam & tempeſtatis, & pu-
gnæ, & tumultuum, ac tandem homici-
diorum, oculum faſcinantem, cathedram
Diaboli, maligniſſimam creaturam; 15. Iu- 15
dæos, inquam, iterum inſanire facit, ſicu-
ti antea aduerſùs Chriſtum, ita etiam nũc
aduerſùs illius Matris cadauer; & iam fu-
ſtibus, lapidibuſque, & quicquid aliud il-
lis occurrit, tanquam tutaminibus vtẽtes,
necnon gladijs, vt quidam aiunt, eunt cũ
impetu, omni fera irrationaliores, aduer-
ſus illius ſacri funeris miniſtros, pretioſiſ-
ſimumque corpus, quod ab illis baiulaba-
tur. Et quidem deſuper fulmina non in-
flammarunt ſceleſtos, nec combuſſerunt
iniquos, nec terra hiauit ad deglutiendã
audaciſſimam nationem; ſicuti olim fa-
ctum eſſe de Datan, & Abiron, ex illa
progenie natis, audiuimus: ſed alia quę-
dam vltio audaces inuadit, quæ etſi non
acerbè illos vita priuauit; tamen iniuſtã

manum aduerſus huiuſmodi res non mo-
uere docuit, & illos qui pęnas dederunt,
& eos, quibus percuſſi, illud quod ſucceſ-
ſerat, enarrabant. Erat autem pęna, viſus
priuatio, grauis, & artificioſa cęcitas, quà
verè laborabant ſecundum animam, ſi
etiam aliàs: & plaga à nefanda quidem
audacia illos amouet: ab errando verò,
& offendendo, verè errantes, ac ſceleſtos
nequaquam liberauit; ſed miſeri, alijs ip-
ſos ducentibus crudelis inuaſionis iuſtam
plagam domum ferentes, tanquam the-
ſaurum recondebant. Vnus autem ex
prophanis Sacerdotibus illius Chriſto
repugnantis Collegij, cum non percuſſus
fuiſſet eadem plaga, mittit manus; ſicut
ille Ozan, impetu toto ſtolido, & inſolen-
te, tanquam non habens mentem ducē;
vt tenaciter honorificentiſſimam illam
Arcam accipiens, euerteret, & in terram
ignominioſè proijceret; pretioſiſſimumq;
in ea theſaurum, illud, inquam, miraculo-
rum effectiuum cadauer, effunderet, &
grauibus afficeret iniurijs. Sed inexpu-
gnabilis iacentis Virginis virtus hic etiā
edit admiranda miracula: Quemadmo-
dum enim iacula à mouente organo ſe-
pa-

parantur, & fixa manent, quocunque la-
ta ſuerint : ita proſanæ illæ manus, ſimu-
latque ad illum ſacrum lectum peruene-
runt ; iaculantis non erant amplius ; ſed,
(ò miraculum !) fixæ in lecto, & ſceleſti
facinoris nouum ſupplicium indicantes.
Hoſtis autem priuus manibus ex cubitis
ipſis, iniuſtis illis iaculis mulctatus, miſe-
rabilis ob cladem, infelix propter cala-
mitatem, videbatur ſpectaculum quod-
dam inſolitum: Manus verò admirabili
modo in lecto pendentes, & ab illis ſan-
guis calidus effluens. Ille autem, qui an-
tea audax erat, vulneratus in terra, ſan-
guine contaminatus, & tāquam cadauer
aliquod lacrymis dignum, proſtratus ho-
mo ſine manibus, qui ipſas quidem vide-
bat ante oculos; primam autem coniun-
ctionē prorſus amiſit: nec manus petere
audet; ob membrorum tamen cognatio-
nem, petitionis deſiderio cruciatur. Sed
per ea, quæ paſſus eſt, agnoſcit iacentis
Virginis virtutem. Accedit ergò ſupplex;
miſerabilis ante pedes Apoſtolorum pro-
ſternitur; ſupplicat, orat feruenter, la-
crymarum fontes emittit; prędicat Chri-
ſti mei virtutem; glorificat admirabilia

Matris eius;negat antiquam,& cacodoxã religionem,& pro his petit, vt manus ſibi reſtituantur magnum hominum inſtrumentum. Quoniam autem non erat deſpernendus, cum afferret confeſſionem, & ad hoc percuſſus fuiſſet, vt Crucifixum prædicaret; obtinet petitionem precibus quidem Apoſtolorum, virtute verò eius, quæ funere efferebatur: & manus quaſi à lecto volantes, cognato corpori ordinẽ ſeruauerunt: & ille Homo factus eſt integer anima,atque corpore,& ita gaudens, ibat magnificans puriſſimam Virginem. Huic autem, qui ſanatus eſt, præbent Apoſtoli frõdem germinis, quod Virgini Angelus dederat, & medicum creant hebræorum illorum,qui excæcati fuerãt, ſanæque fidei præconem. Ille autẽ ambo ſaluat:& fronde quidem percuſſos ſanat, quamuis cœci oculis perſeuerauerint; veram autem gloriam nunquam ſiluit.Et quidem poſt hoc comitantes cadauer, magis quàm ante, nouitate miraculi gaudebant; & alijs hymnis plaudentes, alacriores ibant ad ſepulchrum. Hos igitur excepit Gethſemane;& ſepulchrum ſacrũ illud onus petebat.Illi autem ſanctiſſimũ

illud

Digitized by Google

illud electionis vas deponentes, vltimis cantibus glorificant. Deinde incorruptũ theſaurũ, admirabile vas, rẽ cęleſtẽ, quę & Cœlo ſuperior eſt, ſub terra recõdunt. Poſtquã autẽ peracta fuerunt omnia magnificè, & vt eius dignitas poſtulabat, & quæ ad funus, ac ſepulturã ſpectãt, miniſtrata fuere; boni præclararũ rerum illarũ miniſtri recordabantur quidã & alterius miniſterij, prædicationis ſcilicet: ſed deſideriũ, & erga Puriſſimã reuerentia, nequaquã diſcedere permittebat: & ſacri quidã deſuper cãtus, & de ſummè venerãda cõtinua glorificatio cũ odore quodã admirabili ad tertium vſq; diem ipſos illic tenebant, magis quàm quod fabula Sirenis tribuit prætereuntes detinere. Diuina autem ęconomia proculdubio hoc quoq; factum eſt, vt alterius quoq; myſterij fierẽt ſpectatores, & fideles præcones illius, quod apparuit, eſſent; quod nunc ſermo manifeſtabit. 16. Tardat quidam Apoſtolorum, & expers manet eius, quod circa illam ſepulturam fuit, miniſterij. Poſtea peruenit tertio die peracto. Audit Apoſtolorum per aerem conuentum: diſcit admirabiles illas res, & modulatio- 16
nes,

nes, omniaque docetur qualia euenerũt ea, quæ circa ſacrum miniſterium facta ſunt. Vt autem cęleſtia quædam, & admirabilia audiuit eſſe patrata; ſtupet quidem, & admiratur: dolet autem, vt par eſt; & caſum acerbum eſſe putat, magnoque dolore afficitur, quod ſolus tardus venerit, quod ſolus non dignus factus fuerit, & honoratiſſimam tandem videre, ipſique vale dicere, & mirabilium obtinere ſpectaculum, quòd ſolus miniſterij circa funus, vnà cum amicis nõ fuit particeps. Sed quoniam mirabilibus illis rebus nõ interfuit; petit, vt ad ſepulchrũ Beatæ accedat; ablatoque operculo, videat corpus mortuum, & amplectatur, ipſumque adoret: ſic enim ſolatium ob calamitatem aſſequi exiſtimabat, plurimumque auferre męroris, & infamiam tarditatis depellere. Condiſcipuli igitur perſuaſi (condoluerunt enim valdè, dolenti amico) Deo orationes ſupplices, eiuſque Matri obtulerunt: & poſt hæc, cum operculum à ſepulchro amouiſſent; cadauer (ò miraculum!) nuſquam inueniebant: neque enim mortuus erat fons vitæ, nec terra, & ſepulchrũ poterat diu

ope-

operire vas nouiſſimum, quod eum compræhendit, qui incompræhenſibilis eſt: ideò dimittit eam; vtpote illi nequaquam ſunt conuenientia hęc inferiora. Aſcendit autem ineffabili modo, vbi locus ipſi conueniens præparatus fuerat. Fertur autem aliquid, quod fidelibus diffindere non conceditur à mirabilibus puriſſimæ Virginis: quod ſcilicet 17. viſa eſt ab Apoſto- 17
lis poſt ſacram ſepulturam, antequã ille, qui tardauit, veniſſet; valdè ſplendidè ad Cęlos aſcendens, & cum Angelica gloria pluſquam dici poteſt, procedens, aeremq; odore ineffabili implens. Huic autem manifeſtam præbet demonſtrationem, & ſepulchri euacuatio. Ad hæc etiã fertur alius ſermo, & ipſe euidentiſſimus, 18. im- 18
preſſam eſſe in ſepulchro totam figuram puriſſimi illius corporis; & quaſi ex aliqua ſculptura totum locum manifeſtiſſimè depictum eſſe, quantum, & qualem diuinum illud corpus ibi repoſitum, occupauerat. Mihi videtur hoc factum eſſe, vt etiam hic participationem cum Saluatore puriſſima Virgo ſaluaret: & ſicut Dominicum illud ſepulchrum lintea ſola ſeruauit: ita Matris quoque Creatoris ſe-

pul-

pulchrum, figuram ſolum impreſſam pro linteis geſtaret. Ad hæc etiam, vt Aſſumptionis, quæ dicitur & creditur, pręclarũ teſtimonium ſemper ſepulchrum videntibus præberet; ſicuti etiam & ſacrarum lacrymarum ſummæ laudandæ Virginis hucuſque impreſſiones conſeruat (ò miraculum!) venerandus lapis, qui Saluatorem mortuum linteis inuolutum excepit; qui ex ipſo tactu & viſu manifeſtam nobis oſtendit lacrymarum imaginem. Oportebat enim eorum, per quę altitudò Puriſſimæ nũciari debebat, nihil deſluerę ſicuti aliorum: maximèque nec erat conſequens conſeruari nobis reliquorum Sanctorũ ſacra corpora, ſanctificationis cauſa: corporis verò omnium ſanctiſſimi nec veſtigium, aut figuram, vel aliquid aliud eam adumbrans, ob eandem cauſam relinqui. Puto autem, vt abundantia ſanctificatiuæ virtutis puriſſimæ Virginis oſtendatur; ideò & immaculatorum illorum membrorum figuras ſolas nobis remanſiſſe; vtpotè idem potentibus, imò & plus, ſacræ illius reliquiæ figuris, quod in reliquis Sanctis poteſt tota reliquia. Verũ nec ſanctæ illius Imaginis, vt arbitror,

huiuſ-

huiuſmodi impreſſiones,diuinas,inquam, figuras, poſſet terra ſuſtinere; niſi Creator, Filiuſque eius, multiplicis vtilitatis cauſa, propriam illam, & diuinam figurã hominibus dono dediſſet. 19. Abagaro 19
enim Edeſſæ Principi, precioſum illum theſaurum audimus commiſſum eſſe. Vt ergo immaculatiſſima Mater hic quoq; æqualis ſit Filio; ideò terræ conceſſum eſt, ſacras illas impreſſiones, vt dictum eſt, tanquam theſaurum retinere: quoniam in multis alijs poſſet videre quis puriſſimam Virginem, ſimilitudinem cum Creatore ſeruaſſe. Quemadmodũ enim ille bibit quidem propter me mortis poculum; ſed non ſicuti alij mortui, ſtabilẽ (vt ita dicam) domũ,poſſedit ſepulchrũ: ſed ſibi conueniens habitaculum quærẽs ſurrexit: ita & Creatoris Mater venit quidem ſub terram, illumque imitans, et illius ſententiæ, quam primi parentes anteà audierant, obediens. Erat enim certè ipſa quoque de terra, quamuis nihil terrenum in mente ferebat: Surrexit autẽ, et ad Cœlos volauit, vbi et eius Filius: et ſicut Reſurrectio illa tertia die facta eſt; ſimili modo æqualem dierum numerum
ipſa

ipſa quoque ſeruauit: et ſicut Dominica reſurrectio notificauit nobis dierum numerum, quod tertio die facta eſt; celauit autem horam: eodem modo factum eſt et in Matre Dei. Adhuc autem ramum palmæ, quem per Angelum B. Virgini miſit Deus, vt diximus; hanc Saluatoris ſimilitudinem arbitror repræſentare: quemadmodum Hebræorum pueri, multitudo malitiæ expers, cum ramis obuiā ibant Saluatori, linguaque balbutiente, laudem, et adorationem perficiebant, et quantum illi poterant, per ea, quæ faciebant, victorem mortis Dominum oſtendebant: ita ſanè Angelo, omni malitia carenti, pro illis innocentibus infantibus datum fuerat ramulus, vt Dominæ offerret, et contra mortem victoriam deſignaret: Ita etiam h c puriſſima declaratam illam imaginem exactè conſeruauit. Oportebat enim nouam Matrem in omnibus nouum imitari Filium, nouumque aliquid æquiualens hic deſignari, præter illa, quibus Filij ſecundum naturam nati parentibus aſſimilantur. Nam lex quidē naturalis concedit bonis filijs optimos Patres ſibi tanquā exemplar proponere,

vt

vt poſſint ex antiqua experientia, quam tempus elapſum ſuppeditauit parentibus, optima quæque colligere. In noua autem Dei Matre contrarium factum eſt totum: nam et nouus illius Filius, tanquam exẽplar Matri propoſitus eſt; et in illam filij imaginem puriſſima intuens, ſeipſam colorabat, efformabat, et effigiabat. Sed nõ præter rationem hoc factum eſt: Erat enim Creator, et Verbum Dei; et Puriſſimæ Filius ſecundum alium modum excelſiorem omninò Exemplar, et omni alio antiquior. Et ideò ſaluabatur imago; inferiore à ſuperiore benedictionem accipiente. Quoniam autem de Palma paulò antè diximus; neceſſe eſſe exiſtimo, et Arboris proprietates demõſtrare, et quã iſtæ habent ſimilitudinem cum Puriſſima ſecundum meum iudicium. Quoniam ſi non valde conueniens eſſet ipſi; non vtique talem à Deo accepiſſet ramum. Palma arbor parùm quidem conuerſatur cum terra, et tantum, quantum poſſit neceſſarium ad ſuum ſtatum humorem attrahere. Tendit autem ſurſum, erectos producens ramos; et ad ſummam eos altitudinem porrigit; itaut qui videret; ad

Cœ-

Cœlum peruenire arborem cogitare, diceret. Hęc autem manifeſtè effigiant sũmè laudandam Virginem: Nam illa quoque pauca quidem terreſtrium participabat; dico autem alimentum, ſomnum, et quæcumque ſunt neceſſaria. Sic enim hæc modeſtè participabat, et vt neceſſarium eſt homini; vt oſtenderet quod ex hominibus orta eſt: omniaque fert ipſa humanæ legis, quamuis ſecundum animã nihil cum hominibus commune erat Puriſſimæ. In pluribus autem, quæ ad rationem animæ ſpectant, ſurſum ad ſublimia, et ad Cœlum ipſum percurrebat, et quaſi equo celeriter vehebatur. Sicut enim animalia, quæ alis prædita ſunt, deſcendunt quidem in terram, neceſſitatem naturæ conſolantia, ſed ſemper ſublimia aerem deſiderant, et cum hominibus conuerſari nolunt: ſic ſe habebat ad terrã quidem puriſſima, quoniam Homo erat; propter modeſtiam autem animi, ſublimia, et diuina contemplabatur. Et quemadmodum oculus videt quidem viſibilia; nihil verò eorum, quæ videntur, attingit oculi caro; nec huiuſmodi tangendi neceſſitate illi opus eſt ad viuendum; ſed par.

participat viſus quidem obiectum;manet
autem materia viſus abſq; eo quod attin-
gat res viſibiles. Eodem modo immacu-
latiſſima,& participans, & immixta à ter-
renis manebat. Adeſt Palmę & alia pro-
prietas,eſt autem hæc: Producitur quidẽ
Palma de terra quemadmodũ & reliquæ
arbores,creſcit autem non ſicut illę,nam
ramos quidem ad magnam extollit lon-
gitudinem,vt dictum eſt,ſummitatis autẽ
tramite,craſſitiem, quam tũc habet,cum
de terra producta apparuerit, hanc con-
ſeruat, cuiuſcumq; additionis expertem.
Et hoc autem ad puriſſimam hanc habet,
vt arbitror,rationem Imaginis. Nata eſt
quidem Virgo ex propria matre ſicut ho-
mo,& ideo antiquam craſſitiem, dico au-
tem peccatum originale:20.cum quo na- 20
ta fuit,& quod inuitò acceperat,nullo mo
do poterat euitare,nec trãſgredi. De qua
& Diuus Dauid philoſophauit dicens: *In
peccatis concepit me mater mea.* Hoc igitur Pſal.50.
ſolum in hanc vitam edita tulit,oſtendens
humano generi:alterius verò craſſitiei,cu
iuſcumq; videlicèt inquinamenti prorſus
incapax manſit.Nec ſolum hoc,ſed illam
quoq; paternam & perniciosam ſortem

Digitized by Google

abiecit à ſe, ſicut etiam hanc Imaginē ſuperauit. Nā palma nec illā, quam cū orta fuerit, monſtrauit circà ſummitatem deponit craſſitiem, & illam, quam ab initio habuit, minorem fecit vnquam: Beata autē Virgo quaſi ſupra omneē exiſtens Imaginem infinito interuallo, ipſumq; genus ſuperans, properauit ad illam antiquam craſſitiem, Adami inquam lapſum abijciēdum, ſtatuamq; hominem inquam, quem opifex fabricauit, ſplendidam, ac nitidam oſtendendam, & quod admirabilius eſt, quia nō paruam voluit habere purgationem & quę ipſi ſoli ſufficeret, ſed cū tanta profunditate puritatis conuerſari conata eſt, vt alijs quoq; effundere potuerit ſordeſq; expurgare per ipſam craſſiſſimas ac ſceleſtiſſimas. Ad hæc autē fructus quoq; ipſius Palmę, vt ego arbitror, nouum Virginis filium figurat. Sicut enim huiuſce arboris fructus, eſt quidē pulchritudine ſplendidus, & guſtu dulcis pluſquam alij; quod autem intùs operit, valdè ſolidum eſt, & quaſi infrangibile: Sic etiam meus Chriſtus Virginis fructus, aſpectu quidem dulcis, & ſpecioſus, vt nemo omniū alius; intellectu autem omni forte validior, ac

ſoli-

ſolidior eſt;& ipſam poſſidens impaſſibilitatem. Quod iam & Dauid Propheta innuens, vt ego puto; *Iuſtum*, dixit, *tanquã Palma florebit*; 21. iuſtum egregiè vocans Virginem: florem autem ex ipſa natum, vt dixi, dulciſſimum Ieſum. Sicut etiam Salomon de ipſo Chriſto; *Ego*, inquit, *flos cãpi, et lilium vallium*. Quod ſi palma, quoad intus, non eſt impaſſibilis; non propterea ſermo aberrat; neq; enim in creaturis inueniri poteſt diuinæ, & impaſſibili naturæ imago omninò ſimilis. Adhuc etiã, & qui voluerunt à mũdo ſecedere, & alta philoſophari, Deumq; alloqui, quantum homini eſt poſſibile; illum locum ad habitandum, vt audiuimus, elegerunt, qui palmas produxit; quarum fructus quidem non paruo erat ipſis ſolatio ad alimentũ; rami autem opus erant, quod ſacræ illorum Sanctorum manus operabantur. Et hoc valde conſonũ eſſe arbitror præſenti ſpeculationi, & non ſine ratione; nec caſualem, quod aliquis diceret, concederem vnquam huiuſmodi vitam Sanctorum illorum virorum. Sic enim intelligere poſſum de hoc: quoniam Puriſſimæ Virgini, vt diximus, palma aſſimilatur; huius verò

Pſalm. 91. 21.

Cant. 2.

fructus ineffabili, admirabiliq; illius fructui: propterea manus quidem Sanctorum palmæ tractabant ramos; Os verò, illius fructum ſumebat;vt circa quæ memoriam nunquam dormire deſiderabãt. Ieſum, inquam, & puriſſimam Virginem. Ad hæc & manuum exercitium, menſaque cooperentur, quoniam & tenore, ſi quid aliud, Ieſum volebant & ſi fieri poſſet, hunc ſemper manducare, atque ſpirare. Hoc autem oſtendebant per ea, quæ faciebant, & proprium ſcopum manifeſtum poſuerunt. Et de his quidem ſatis dictum ſit. Ipſa verò, ò Dei mater, ſplendor noſtræ naturæ, creatura nouitate iucundiſſima, cœleſtis altitudo, gratiarum mare, Sol, eo qui videtur, ſplendidior, Arca virtutis plena, florum omnium flagrantiſſimum pigmentarium; mea ſalus, per quam & cœlos habitamus, & paradiſum recuperauimus: quid oportet plura dicere? Dei incomprehenſibilis receptaculum, & mater; & ideò viſibilium, & inuiſibilium, excepto Deo, Domina, ſit nobis hic quidem ſanctæ vitæ gubernatrix, & veritatis dux, & propugnatrix inimici contra nos meditationis:

tationis: in futuro autem ſæculo æternorum bonorum fruitionem ſuppedites: quam ſaxit Deus, vt nos omnes aſſequamur Deiparæ interceſſionibus, & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem decet omnis gloria, & honor, & adoratio, cum æterno ipſius Patre, cum Sancto, bonoq; & viuifico Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

NOTÆ
IN MARIALE ISIDORI
ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS.

HAE quatuor Iſidori Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, de Natiuitate, Præſentatione, Annunciatione, atque Aſſumptione Sacroſanctæ Dei Genitricis Orationes, extant Græcè Mm. Ss. in antiquo Codice Bibliothecæ Vaticanæ, numero 651. quas ex interpretatione præſtantiſſimi Viri Io. Matthæi Cariophyli Archiepiſcopi Iconienſis, Mihi olim à Flaminio Ceraſola Bergomate, Viro religione, integritate, ac eruditione commendando, qui eaſdem Orationes tùm Græcè, tùm Latinè, vnà cum ſuis de Beata Virgine Tomis ipſe quoque edere volebat; pro eximio ſuo in Deiparam amore, promptoque in me ſemper officio, benigniſſimè communicatas: tanquam tabu-

tabulas è maximo, miſerrimoque naufragio ereptas, & ſeruatas; imò tanquam magnum antiquitatis de nouo effoſſum è terra Theſaurum, in publicum communi ſaluti exponere, ac proferre operæpretium exiſtimaui, ſpe minimè dubia, ingentem eas lætitiæ, fructuſq; materiam Marianis Cultoribus allaturas.

NOTÆ IN ORATIONEM I. de Natiuitate Sanctiſſimę Dei Genitricis.

PRAETER Caryophylum modò memoratum, Orationem etiam hanc de Græco fonte in Latinitatis alueum deriuauit Vir ſolidè doctus Lucas Holſtenius Aburgẽſis, Baſilicæ S. Petri in Vrbe Canonicus, vt in Bibliotheca Mariana Tom. 2. recenſuiſſe me memini.

1. *Spectaculum ſublimiſſimum*] Concinit S. Germanus in Mariali à nobis edito, Fragmento 12. Mariano; dum Deiparam appellat, Spectaculũ, omni magnifica ſpecie ſublimius: *Aue*, inquit, *gratia plena; Chriſtianorum omnium mirabile, & quod facilè afficiatur, refugium, omnique magnifica ſpecie ſublimius Spectaculum.* S. quoque Ignatius Martyr Ep. 1. ad S. Io. Euangeliſtam; Mariam agnoſcit Spectaculum ſacratiſſimum, dum ſcribit: *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Matre Ieſu, humana natura natura ſanctitatis Angelicæ ſociatur. Et hæc talia excitauerunt viſcera noſtra, & cogunt valdè deſiderare aſpectũ*

S.Germ.

S.Ignat.

huius

huius (ſi fas eſt dicere) cœleſtis prodigij, & ſacratiſſimi Spectaculi. Et antiquus Virginalium Encomiorum Eccleſiaſtes Iooannes Geometra Hymno quarto de Laudibus Virginis Dei Matrem, vt Spectaculum ſalutauit illis verbis. S.Geom.

Salue Spectaclũ Cherubim, vii ardua ſalue:
Mirandam Seraphim prauenieus Sophiã.

2. *Globum lucidiſsimum*] Globum inſuper ſplendidiſsimum vitæ interminabilis Deiparam nuncupat Iſidorus in Oratione de Aſſumptione B. Virginis, imitatus S. Proclum Conſtantinopolitanum Antiſtitem in Orat. 6. quæ eſt de Laudibus SS. Dei Genitricis, ita fantem: *Ipſa* (ideſt Maria) *eſt noua creatura cœleſtis globus; in qua Sol Iuſtitiæ, qui nunquam occidit, omnem ab omni anima peccatorum noctem fugat.* S. Procul.

3. *Magnificentiſſimam hanc pulchritudinem*] Pulchritudinis etiam titulo exornant Deiparam, Georgius Nicomedienſis Antiſtes, in Orat. de Oblatione Deiparæ, ſic exclamans: O *pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! O Dei Genitrix, pulchrorum omniũ ſummum ornamentum! Tu prima ſpeciem obſcuratã imaginis reſtituiſti in ſuam pulchritudinem.* S.Birgitta lib.4 Reuel.c 19. his verbis Deiparam alloquens: O *dulcis Maria, pulchritudo noua, pulchritudo clariſſima: veni in adiutorium mihi tu, vt deformitas mea depuretur, Verè Domina, tu es pulchritudo pretio-* Georg.Nicomed. S.Birgitta

tioſiſſima, pulchritudo deſideratiſſima, &c. Atque Eccleſia Græca tùm in Menœis die 4. Ian. Ode 1. in hunc modum canens: *Agite, illam caſtam, mente ſimiliter caſta; vt vere Beatam prædicemus: Pulchritudinem ſcilicet, quam Deus dilexit, Iacobus ille cœleſtis.* Tum in Rituali in Officio Exequiarum, ſic Deiparam laudans: *Vas illibatum, templum intemeratum, Arcam ſanctiſſimam, Virgineum ſanctitatis Loculum: te Pulchritudinem Iacob Dominus elegit.* Sed & idem Iſidorus, Orat. de Præſent B.V. Deiparam nominat, *Pulchritudinem Orbis vniuerſi, & pulchritudinem ſacratiſſimam; expreſſiſſimè referentem Deum.*

Eul.Græca

S. Iſidorus

4. *Splendidiſſimum, & glorioſum iubar*] Iubar propriè, eſt ſplendor Solis, aliorumue Syderum, iubarum quandam ſimilitudinem referens: & non tantum de Solis, ſeu Stellæ claritate dicitur; ſed etiam de cuiuſq; rei ſplendore, vt auri, argenti, gemmarum, aut ſimiliũ rerum. Deipara autem appellatur, *Splendor æui illuſtriſſimus, & fulgentiſſimus* à Sancto Ephrem in Orat. de Laud. Virg. *Splendor latus, & multi luminis*, à Georgio Nicomed. Orat. 3. de Præſent. Virg. *Splendor iacentium in tenebris*, à S. Germano in Orat. de Præſent. Et *Splendor myſtici Syderis inoccidui*, in Hymno Græcorum apud Buteonem. *Iubar etiam Deum oblectans, & ſplendor micans Diuinitatis*, appellatur ab eodem Iſidoro, Ora. de Præſent.

S. Ephrem

Georg: Nicomed.

S. Germ.

Hym. Græcus.

S. Iſidor.

Nouum

Digitized by Google

5. *Nouum hoc, & incomparabile ſimulachrum*] Simili Elogio Deiparam honorant S. Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus Orat.2. de Annunc. vbi Deiparam appellat. *Puritatis, atque integritatis immaculatum ſimulachrum.* Et S. Io.Damaſcenus,Orat.1 de Nat.B.Virginis vbi Deiparam ſalutat: *Diuinum, ac viuum ſimulachrũ,ad quod opifex Deus intuentus eſt. Cæli etiam ſimulachrum,* Deiparam indigitat S.Proclus Conſtantinopolitanus, Orat. 2. quæ eſt de Incarnatione. Et Dionyſius Carthuſianus lib.4 de Laud. Virg.art. 15. Deiparam adſtruit, *Simulachrum præclariſſimum, ſplendidiſſimumque contemplandi altiſſimum poſt Chriſti Humanitatem & Simulachrum, in quo Beati, admirandæ Trinitatis bonitatem, pietatem, charitatem, omnipotentiam, ſapientiã, liberalitatem, miſericordiam, æquitatem, limpidiſſimè, ac iucundiſſimè contemplantur.*

S. Gregor. Neocæſ. — S.Io.Dam. — S. Proclus — Dionyſius Carth.

6 *Specioſiſſimum hoc, diuinumque donarium*] *Donarium* etiam *honorabiliſſimum, ac diuinum, cuius exprimendæ dignitati impar eſt vniuerſa creatura,* appellatur Deipara ab eodem Iſidoro, in Orat. de Præſent. B.Virg. & *Donarium ſalutare, omnes lætificans*: nec non *Donarium ſacrum Annæ conceſſum ab ipſo munificentiſſimo perfectorum largitore bonorum*; nuncupatur eadem à S. Germano Patriarcha Conſtantinopolitano in Orationib. de Natiu. & Præſent.B.V.

S. Iſidorus — S. Germã.

7. *Res creatæ propter ipſam conditæ sũt*]

Con-

confirmat hoc idem Iſidorus noſter in Orat. de Annunc. dum ait: ***Propter ipſam*** (ideſt Mariam) ***initio creatus Homo eſt; & extenſũ Cœlum, & terra, & quicquid productum eſt propter hominem.*** & Orat. de Aſſumpt. dum ſcribit: ***Propter te Dominus, ò Puriſſima, Cœlum produxit, Terram fundauit; Mare ſolum, & omnem ornatum Mundi, Mundũq; creauit.*** Cui non contradicunt, imò aperte ſuffragantur Rabbi Haccados (qui ante Chriſtum aliquot ſæculis floruit) apud Galatinum lib. 7. de Arcanis cap. 2. dum ad ea verba Ieremiæ cap. 33. ſi irritum fieri poteſt pactum meũ cum die, &c. in hunc modum ſcribit: *Niſi pactum meum eſſet, ideſt, niſi amore mei Ieſu & Mariæ; diem, & noctem, leges Cœlo, & terra non poſuiſſem, ideſt, Mundum minimè creaſſem.* & R. AnKelos in Gloſſa Chaldaica, dum ſuper illud Geneſis, In principio creauit Deus Cœlum, & terram, ſtatim attexuit; *Propter ſapientiam, hoc eſt, amore intemeratæ Virginis, quæ eſt Mundi ſapientia, creauit Deus hunc Mundum, & amore Meſſiæ Filij ſui, cui in diuinis ſapientia tribuitur.* Sed his luculentius S. Bernardus Clareuallenſis Abbas, dum Serm. 3. ſuper Salue Regina; de Maria loquens dixit: ***Ob hanc, & propter hanc omnis ſcriptura facta eſt, propter hanc totus Mũdus factus eſt.*** Porrò intuitu Virginis, & benedicti eius Filij, fuiſſe Mundum à Deo creatum, Probant, inter alios, Galatinus l. 7. de Ar-

S. Iſidorus

Rab. Haccados.

Rab. AnKelos.

S. Bernard.

Arcanis c.2.Pelbartus in Stellario B.V. lib.11. p.2. cap.2. Nouatus tom.2. de Eminentia Deiparæ cap. 7. q. 14. Fernandez in Geneſ. cap.1. ſect. 1. num.4. & 5. Salazarius de Conceptione B.Virg.cap 3.num.3. & 4. & in cap. 8. Prouerb. num.160. Benzonius in Pſal. 86. cap 28. & nouiſsimè Cisfrancus Cronein. Theologus ignotus, in Examine Theolog.circa meritum Beatæ Mariæ. q.4.circa caput 13. Hoc tamen Virginis decus, commentitium appellare non dubitat Theophilus Rainaudus in Dipticis Marianis p.2. punct.1.n.15.

8. *Homo nouus*] Homo eſt communis generis, tamque de fęmina, quam de viro dicitur. Vnde Theophylactus in cap 8. Matthæi ad illa verba; Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet; Hominem, cuius Chriſtus appellatur Filius, intelligit B. Mariam Virginem eius Matrem;& Galatinus l.7. Arcan. cap.4. refert Meſſiæ Matrem à priſcis Iudæorū *primum Hominem* fuiſſe appellatam; cuius proindè cæteri homines filij nuncupari poſsēt. Galatinus. Primum intellige, non in creatione, & tempore, Sed tum dignitate, tum fine, & ſcopo, tum in prædeſtinatione, & decretis Dei. Dum autem vocat Iſidorus B. Virginem, *Hominem nouum*; alludit ad hominem nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis, vt loquitur Apoſtolus in Epiſt. ad Epheſ. cap.4. In hac etiam Oratione, vocat Iſidorus B. Virginem, *Hominem ſupra modū* S. Iſidorus

nouum,

Digitized by Google

nouum, & ſupra modum ſtupendum quæ ſola hominem à Deo miſerabiliter ſeparatū in Dei membra repoſuit ſupra hominis cætū. & in Or. de Præſent. vocat, *Hominē Angelis excelſiorē, & ſanctiſſimum.* & in Orat. de Annunc. vocat, *Hominem nouum, & ſtupendiſſimum quæ valdè propè ad Deum acceſſit:* itemque, *Hominem verè ſupercœleſtem, quæ Cœnam iucundiſſimam, & vitæ largitricem agricolatione ſua nobi præſtitit.*

9. *Magnum, ac verè viuificum elementū*] Et meritò quidem B. Dei Genitrix Maria Elementi titulo nuncupatur. Etenim ſi elementi nomen vſurpari conſueuit pro primis rei cuiuſque principijs, ſiue ea ſit naturalis, ſiue arte facta, ſiue ſit ars, ſiue ſcientia: (qua ratione Literæ, orationis appellantur elementa, quòd ad orationem componendam primò aſſumantur) Beatiſſima Virgo ante ſæcula prædeſtinata eſt, vt eſſet *principium, ex quo recreandum erat omne creatum*, vt loquitur Sanctus Antoninus in Summa Theolog. 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 3. Ipſaque *principium omnium aliorum Sanctorum, ſumma Virginitatis puritate, peccati immunitate, peccandi impoſſibilitate:* itemque, *principium vitæ increatæ, & principium fœminarum ſecundum dignitatem*, appellatur ab Alberto Magno in Mariali ſuper Miſſus eſt Angelus, cap. 35. & 194. & in Biblia Mariæ ſuper Euangelium Lucæ, Vide Mauritium de Villa Probata in Corona

S. Anton.

Alb. Mag.

na

na Beatæ Virg. ſerm. 12. vbi Deiparã adſtruit *Principium diuinarum gratiarum, in quantũ principalius propter ipſam Filius Dei incarnatus eſt, per quem omnis gratia Mundo elapſa eſt.* Mauritius

10. *Quàm ſimilis Deo eſſet Virgo*] *Palam eſt* (inquit Dionyſius Carthuſianus lib. 1. de Præconio Mariæ, art. 25.) *nihil in Creaturis, Genitrice Dei, Deo ſimilius, atque vicinius poſſe conſiſtere.* Hanc autem B. Virginis cum Deo ſimilitudinem pulchrè ob oculos ponunt D. Bernardinus Senenſis, tom. 1. ſerm. 61. art. 1. cap. 4. & 11. Paulus de Heredia in tractatu de Conceptione ad Innocentium Quartum Pont. Max. Lodouicus Bloſius in Canone Vitæ ſpiritualis, cap. 18. Petrus de Morales in cap. 1. Matthæi, l. 3. tract. 3. num. 25. Ioannes Oſorius tomo 3. Con. 3. de Conceptione Mariæ. Fernandez in Geneſis cap. 2. ſect. 15. num. 4. Dionyſius Carth. loco citato, & lib. 1. de Laud. Virg. art. 3. & 4. atque alij quamplurimi. Vide infra Notas noſtras ad Orat. de Præſent. num. 10. Dionyſius Carth.

11. *Illuſtris Medicus nempè Virgo, & cæleſtis omninò vocandus* [Medici etiam titulo Deiparam vocant, S. Antoninus in Summa Theologica p. p. tit. 8. cap. 3. dum ait; *Sicut Rex dum mittit ad prælium milites ſuos (quia ut ſapiens cognoſcit, quod multi ibi vulnerantur) mittit etiam Medicum ad curandum: ita Deus ſapientiſſimus præſciens nos habituros continuum certamen cum Dæmonibus, &* S. Anton.

ſæpè

Digitized by Google

ſæpè ab eis peccatorum vulneribus damnificari; concepit in mente ſua, & diſpoſuit Mundo mittere Medicum, ſcilicet Virginem Beatiſſimam. Et Mauritius de Villa probata, in Corona B.Virg.ſerm 7. dum exclamat: *O grandis infirmitas! O maxima ægritudo! O miſera mortalium conditio! Attentè conſidera, vnde poſſis recuperare ſalutem optatam: recurre ad Medicum, Mariam ſcilicet, quæ te poteſt, & deſiderat perfectè ſanare*. Medicum quoque eandem Deiparam demonſtrat Albertus Magnus ſuper Miſſus eſt Angelus, cap. 141. dũ probans ipſam ſciuiſſe in ſummo Medicinam, his vtitur argumentis: *Nullus morbus ita incurabilis fuit, quin Virgo ſciret, & poſſet eum curare: ergò habuit in ſummo ſcientiam Medicinæ*. Item, *Sciuit curare ſolo verbo: ergò ſciuit Medicinam in ſummo*. Item, *Ipſa ſciuit curare corpus, & animam: ergò ipſa ſciuit perfectè Medicinam*: Item, *Ipſa ſciuit ſanare ad immortalitatem: ergò in ſummo habuit Medicinæ cognitionem*. Sic ille: cui concinit S.Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 4.p.Summæ Theol. tit. 15. cap. 19. §.2. in hæc verba ſcribens: *Nullus morbus quantumcũq; incurabilis eſt, quẽ non valeat Maria curare, vt cæcitas, & mors: Vnde ei canitur: Cœcos tu illumina, mortuos reſuſcita, da mœſtis lætitiam*. Etenim, vt rectè, & ſapienter S. Baſilius Seleucienſis Præſul, in Oratione de Annunciatione Virginis ratiocinatur: *Si Chriſtus ſer-*

Mauritius

Alb. Mag.

S. Anton.

S. Baſilius Seleuc.

ſeruis ſuis tantam gratiam contulit, vt ſolo tactu, imò verò ſola corporis vmbra, ægris præſidium afferre poſſent: qualem vim aduerſus omne morborum genus Virgini Matri collatã fuiſſe putãdũ eſt? Hinc Io. Trithem. lib. 1. de Miraculis B. V. in Vrticeto c. 9. *Si corporalis,* inquit, *te grauat infirmitas, non tardes inuocare Mariã, & ſalutarem eius experieris medicinã. Crede mihi, & nullatenus dubites, quæ tot beneficia ſanitatũ tam multis, & pænè innumeris etiam noſtris diebus, in diuerſis locis inuocata præſtitit; tibi vni, ſi deuotè, feruenter, & confidenter eam rogabis, ſanitatem non negabit.* Appoſitè etiam D. Amedeus Lauſannẽſis Antiſtes, Homil. 8. de Laud. V. dum ait: *Non ſolũ animarum ſaluti, verum etiam humanorum corporum ſanitati, atq; neceſſitati pia diligentia B. Virgo prouidet, & medetur. In locis quippe memoriæ ſanctitatis eius dicatis, claudis greſſum, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbenſq; innumera beneficia ſanitatum.* Et pulcherrimè S. Georgius Hierapolita Nicomedien. Or. in SS. Marty. Coſmam, & Damianũ, vbi ſic loquitur: *Per Mariam, infirmum hominũ genus, ac poſtquam verè bonam valetudinem amiſiſſet, ſanitatem recepit, morborumq; depaſcentia cobibita eſt: Per eam, morbos inferens inobedientia ceſſauit, terrenumq; humanũ genus ſanis obedientiæ virtutibus potitur: Per eam læthiferum peccatum à malis conuehendis* Io. Trith. S. Amedeus. Georg. Nicomed.

 impe-

NOTÆ
IN MARIALE
ISIDORI
ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS.

HAE quatuor Iſidori Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, de Natiuitate, Præſentatione, Annunciatione, atque Aſſumptione Sacroſanctæ Dei Genitricis Orationes, extant Græcè Mm. Ss. in antiquo Codice Bibliothecæ Vaticanæ, numero 651. quas ex interpretatione præſtantiſſimi Viri Io. Matthæi Cariophyli Archiepiſcopi Iconienſis, Mihi olim à Flaminio Ceraſola Bergomate, Viro religione, integritate, ac eruditione commendando, quì eaſdem Orationes tùm Græcè, tùm Latinè, vnà cum ſuis de Beata Virgine Tomis ipſe quoque edere volebat; pro eximio ſuo in Deiparam amore, promptoque in me ſemper officio, benigniſſimè communicatas: tanquam tabu-

tabulas è maximo, miſerrimoque naufragio ereptas, & ſeruatas; imò tanquam magnum antiquitatis de nouo effoſſum è terra Theſaurum, in publicum communi ſaluti exponere, ac proferre operæpretium exiſtimaui, ſpe minimè dubia, ingentem eas lætitiæ, fructuſq; materiam Marianis Cultoribus allaturas.

Digitized by Google

NOTÆ IN ORATIONEM I. de Natiuitate Sanctiſſimę Dei Genitricis.

PRAETER Caryophylum modò memoratum, Orationem etiam hanc de Græco fonte in Latinitatis alueum deriuauit Vir ſolidè doctus Lucas Holſtenius Aburgēſis, Baſilicæ S. Petri in Vrbe Canonicus, vt in Bibliotheca Mariana Tom. 2. recenſuiſſe memini.

1. *Spectaculum ſublimiſſimum*] Concinit S. Germanus in Mariali à nobis edito, Fragmento 12. Mariano; dum Deiparam appellat, Spectaculũ, omni magnifica ſpecie ſublimius: S.Germ. *Aue*, inquit, *gratia plena*; *Chriſtianorum omnium mirabile, & quod facilè afficiatur, refugium, omnique magnifica ſpecie ſublimius Spectaculum.* S. quoque Ignatius Martyr Ep. 1. ad S. Io. Euangeliſtam; Mariam agnoſcit Spectaculum ſacratiſſimum, dum ſcribit: S.Ignat. *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Matre Ieſu, humana natura natura ſanctitatis Angelicæ ſociatur. Et hæc talia excitauerunt viſcera noſtra, & cogunt valdè deſiderare aſpectũ*

huius

huius (ſi fas eſt dicere) cœleſtis prodigij, & ſacratiſſimi Spectaculi. Et antiquus Virginalium Encomiorum Eccleſiaſtes Iooannes Geometra Hymno quarto de Laudibus Virginis Dei Matrem, vt Spectaculum ſalutauit illis verbis. S.Ceom.

Salue Spectaclũ Cherubim, vis ardua ſalue:
Mirandam Seraphim prauenien ſ Sophiã.

2. *Globum lucidiſsimum*] Globum inſuper ſplendidiſsimum vitæ interminabilis Deiparam nuncupat Iſidorus in Oratione de Aſſumptione B. Virginis, imitatus S. Proclum Conſtantinopolitanum Antiſtitem in Orat. 6. quæ eſt de Laudibus SS. Dei Genitricis, ita fantem: *Ipſa* (ideſt Maria) *eſt noua creaturæ cœleſtis globus; in qua Sol Iuſtitiæ, qui nunquam occidit, omnem ab omni anima peccatorum noctem fugat.* S. Procul.

3. *Magnificentiſſimam hanc pulchritudinem*] Pulchritudinis etiam titulo exornant Deiparam, Georgius Nicomedienſis Antiſtes, in Orat. de Oblatione Deiparæ, ſic exclamans: *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! O Dei Genitrix, pulchrorum omniũ ſummum ornamentum! Tu primæ ſpeciem obſcuratã imaginis reſtituiſti in ſuam pulchritudinem.* Georg. Nicomed. S.Birgitta lib. 4 Reuel. c 19. his verbis Deiparam alloquens: *O dulcis Maria, pulchritudo noua, pulchritudo clariſſima: veni in adiutorium mihi tu, vt deformitas mea depuretur, Verè Domina, tu es pulchritudo pretio-* S.Birgitta

tioſiſſima, pulchritudo deſideratiſſima, &c. Atque Eccleſia Græca tùm in Menœis die 4 Ian. Ode 1. in hunc modum canens: *Agite, illam caſtam, mente ſimiliter caſta, vt verè Beatam prædicemus: Pulchritudinem ſcilicet, quam Deus dilexit, Iacobus ille cœleſtis*. Tum in Rituali in Officio Exequiarum, ſic Deiparam laudans: *Vas illibatum, templum intemeratum, Arcam ſanctiſſimam, Virgineum ſanctitatis Loculum: te Pulchritudinem Iacob Dominus elegit*. Sed & idem Iſidorus, Orat. de Præſent B.V. Deiparam nominat, *Pulchritudinem Orbis vniuerſi, & pulchritudinem ſacratiſſimam, expreſſiſſimè referentem Deum*.

Eul.Græca

S. Iſidorus

4. *Splendidiſſimum, & glorioſum iubar*] Iubar propriè, eſt ſplendor Solis, aliorumque Syderum, iubarum quandam ſimilitudinem referens: & non tantum de Solis, ſeu Stellæ claritate dicitur; ſed etiam de cuiuſq; rei ſplendore, vt auri, argenti, gemmarum, aut ſimiliũ rerum. Deipara autem appellatur, *Splendor æui illuſtriſſimus, & fulgentiſſimus* à Sancto Ephrem in Orat. de Laud. Virg. *Splendor latus, & multi luminis*, à Georgio Nicomed. Orat. 3. de Præſent. Virg. *Splendor iacentium in tenebris*, à S. Germano in Orat. de Præſent. Et *Splendor myſtici Syderis inoccidui*, in Hymno Græcorum apud Buteonem. *Iubar etiam Deum oblectans, & ſplendor micans Diuinitatis*, appellatur ab eodem Iſidoro, Ora. de Præſent.

S. Ephrem

Georg: Nicomed.

S. Germ.

Hym. Græcus.

S. Iſidor.

Nouum

5. *Nouum hoc, & incomparabile ſimulachrum*] Simili Elogio Deiparam honorant S. Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus Orat. 2. de Annunc. vbi Deiparam appellat. *Puritatis, atque integritatis immaculatum ſimulachrum.* Et S. Io. Damaſcenus, Orat. 1 de Nat. B. Virginis vbi Deiparam ſalutat: *Diuinum, ac viuum ſimulachrū, ad quod opifex Deus intuentus eſt.* *Cœli etiam ſimulachrum,* Deiparam indigitat S. Proclus Conſtantinopolitanus, Orat. 2. quæ eſt de Incarnatione. Et Dionyſius Carthuſianus lib. 4 de Laud. Virg. art. 15. Deiparam adſtruit, *Simulachrum præclariſſimum, ſplendidiſſimumque contemplandi altiſſimum poſt Chriſti Humanitatem & Simulachrum, in quo Beati, admirandæ Trinitatis bonitatem, pietatem, charitatem, omnipotentiam, ſapientiā, liberalitatem, miſericordiam, æquitatem, limpidiſſimè, ac iucundiſſimè contemplantur.*

S. Gregor. Neocæſ.

S. Io. Dam.

S. Proclus

Dionyſius Carth.

6 *Specioſiſſimum hoc, diuinumque donarium*] *Donarium* etiam *honorabiliſſimum, ac diuinum, cuius exprimendæ dignitati impar eſt vniuerſa creatura*, appellatur Deipara ab eodem Iſidoro, in Orat. de Præſent. B. Virg. & *Donarium ſalutare, omnes lætificans*: nec non *Donarium ſacrum Annæ conceſſum ab ipſo munificentiſſimo perfectorum largitore bonorum*; nuncupatur eadem à S. Germano Patriarcha Conſtantinopolitano in Orationib. de Natiu. & Præſent. B. V.

S. Iſidorus

S. Germā.

7. *Res creatæ propter ipſam conditæ sūt*]

Con-

Digitized by Google

confirmat hoc idem Iſidorus noſter in Orat. de Annunc. dum ait: *Propter ipſam* (ideſt Mariam) *initio creatus Homo eſt; & extenſū Cælum, & terra, & quicquid productum eſt propter hominem*. & Orat. de Aſſumpt. dum ſcribit: *Propter te Dominus, ò Puriſſima, Cælum produxit, Terram fundauit; Mare, ſolum, & omnem ornatum Mundi, Mundūq; creauit*. Cui non contradicunt, imò aperte ſuffragantur Rabbi Haccados (qui ante Chriſtum aliquot ſæculis floruit) apud Galatinum lib. 7. de Arcanis cap. 2. dum ad ea verba Ieremiæ cap. 33. ſi irritum fieri poteſt pactum meū cum die, &c. in hunc modum ſcribit: *Niſi pactum meum eſſet, ideſt, niſi amore mei Ieſu, & Mariæ; diem, & noctem, leges Cœlo, & terræ non poſuiſſem, ideſt, Mundum minimè creaſſem*. & R. AnKelos in Gloſſa Chaldaica, dum ſuper illud Geneſis, In principio creauit Deus Cœlum, & terram, ſtatim attexuit; *Propter ſapientiam, hoc eſt, amore intemeratæ Virginis, quæ eſt Mundi ſapientia, creauit Deus hunc Mundum, & amore Meſſiæ Filij ſui, cui in diuinis ſapientia tribuitur*. Sed his luculentius S. Bernardus Clareuallenſis Abbas, dum Serm. 3. ſuper Salue Regina; de Maria loquens dixit: *Ob hanc, & propter hanc omnis ſcriptura facta eſt, propter hanc totus Mūdus factus eſt*. Porrò intuitu Virginis, & benedicti eius Filij, fuiſſe Mundum à Deo creatum, Probant, inter alios, Galatinus l. 7. de Ar-

S. Iſidorus

Rab. Haccados.

Rab. AnKelos.

S. Bernard.

Arcanis c.2.Pelbartus in Stellario B.V. lib.11. p.2. cap.2. Nouatus tom.2. de Eminentia Deiparæ cap. 7. q. 14. Fernandez in Geneſ. cap.1. ſect. 1. num.4. & 5. Salazarius de Conceptione B.Virg.cap 3.num.3. & 4. & in cap. 8. Prouerb. num.160. Benzonius in Pſal. 86. cap 28. & nouiſsimè Ciſfrancus Cronein. Theologus ignotus,in Examine Theolog.circa meritum Beatæ Mariæ . q.4.circa caput 13. Hoc tamen Virginis decus, commentitium appellare non dubitat Theophilus Rainaudus in Dipticis Marianis p.2. punct.1.n.15.

8. *Homo nouus*] Homo eſt communis generis, tamque de fœmina, quam de viro dicitur. Vnde Theophylactus in cap 8. Matthæi ad illa verba; Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet; Hominem, cuius Chriſtus appellatur Filius, intelligit B. Mariam Virginem eius Matrem;& Galatinus l.7. Arcan. cap.4. refert Meſſiæ Matrem à priſcis Iudæorũ *primum Hominem* fuiſſe appellatam; cuius proindè cæteri homines filij nuncupari poſsēt. Galatinus.
Primum intellige, non in creatione, & tempore, Sed tum dignitate, tum fine, & ſcopo, tum in prædeſtinatione, & decretis Dei. Dum autem vocat Iſidorus B. Virginem, *Hominem nouum*; alludit ad hominem nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis, vt loquitur Apoſtolus in Epiſt. ad Epheſ. cap.4. In hac etiam Oratione, vocat Iſidorus B.Virginem, *Hominem ſupra modũ* S. Iſidorus

nouum,

nouum, & ſupra modum ſtupendum quæ ſola hominem à Deo miſerabiliter ſeparatũ in Dei membra repoſuit ſupra hominis cætũ. & in Or. de Præſent. vocat, *Hominẽ Angelis excelſiorẽ, & ſanctiſſimum.* & in Orat. de Annunc. vocat, *Hominem nouum, & ſtupendiſſimum quæ valdè propè ad Deum acceſſit*: itemque, *Hominem verè ſupercæleſtem, quæ Cœnam iucundiſſimam, & vitæ largitricem agricolatione ſua nobi præſtitit.*

9. *Magnum, ac verè viuificum elementũ*] Et meritò quidem B. Dei Genitrix Maria Elementi titulo nuncupatur. Etenim ſi elementi nomen vſurpari conſueuit pro primis rei cuiuſque principijs, ſiue ea ſit naturalis, ſiue arte facta, ſiue ſit ars, ſiue ſcientia: (qua ratione Literæ, orationis appellantur elementa, quòd ad orationem componendam primò aſſumantur) Beatiſſima Virgo ante ſæcula prædeſtinata eſt, vt eſſet *principium, ex quo recreandum erat omne creatum*, vt loquitur Sanctus Antoninus in Summa Theolog. 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 3. Ipſaque *principium omnium aliorum Sanctorum, ſumma Virginitatis puritate, peccati immunitate, peccandi impoſſibilitate*: itemque, *principium vitæ increatæ & principium fœminarum ſecundum dignitatem*, appellatur ab Alberto Magno in Mariali ſuper Miſſus eſt Angelus, cap. 35. & 194. & in Biblia Mariæ ſuper Euangelium Lucæ. Vide Mauritium de Villa Probata in Corona

S. Anton.

Alb. Mag.

na

na Beatæ Virg. ſerm. 12. vbi Deiparã adſtruit *Principium diuinarum gratiarum, in quantũ principalius propter ipſam, Filius Dei incarnatus eſt, per quem omnis gratia Mundo elapſa eſt.* Mauritius

10. *Quàm ſimilis Deo eſſet Virgo*] *Palam eſt* (inquit Dionyſius Carthuſianus lib. 1. de Præconio Mariæ, art. 25.) *nihil in Creaturis, Genitrice Dei, Deo ſimilius, atque vicinius poſſe conſiſtere.* Hanc autem B. Virginis cum Deo ſimilitudinem pulchrè ob oculos ponunt D. Bernardinus Senenſis, tom. 1. ſerm. 61. art. 1. cap. 4. & 11. Paulus de Heredia in tractatu de Conceptione ad Innocentium Quartum Pont. Max. Lodouicus Bloſius in Canone Vitæ ſpiritualis, cap. 18. Petrus de Morales in cap. 1. Matthæi, l. 3. tract. 3. num. 25. Ioannes Oſorius tomo 3. Con. 3. de Conceptione Mariæ. Fernandez in Geneſis cap. 2. ſect. 15. num. 4. Dionyſius Carth. loco citato, & lib. 1. de Laud. Virg. art. 3. & 4. atque alij quamplurimi. Vide infra Notas noſtras ad Orat. de Præſent. num. 10. Dionyſius Carth.

11. *Illuſtris Medicus nempè Virgo, & cæleſti cominò vocandus* [Medici etiam titulo Deiparam vocant, S. Antoninus in Summa Theologica p. p. tit. 8. cap. 3. dum ait; *Sicut Rex dum mittit ad prælium milites ſuos (quia vt ſapiens cognoſcit, quod multi ibi vulnerantur) mittit etiam Medicum ad curandum: ita Deus ſapientiſſimus præſciens nos habituros continuum certamen cum Dæmonibus, &* S. Anton.

ſæpè

Digitized by Google

ſeruis ſuis tantam gratiam contulit, vt ſolo tactu, imò verò ſola corporis vmbra, ægris præſidium afferre poſſent: qualem vim aduerſus omne morborum genus Virgini Matri collatã fuiſſe putãdũ eſt? Hinc Io. Trithem. lib. 1. de Miraculis B. V. in Vrticeto c. 9. *Si corporalis,* inquit, *te grauat infirmitas, non tardes inuocare Mariã, & ſalutarem eius experieris medicinã. Crede mihi, & nullatenus dubites, quæ tot beneficia ſanitatũ tam multis, & penè innumeris etiam noſtris diebus, in diuerſis locis inuocata præſtitit; tibi vni, ſi deuotè, feruenter, & confidenter eam rogabis, ſanitatem non negabit.* Appoſitè etiam D. Amedeus Lauſannẽſis Antiſtes, Homil. 8. de Laud. V. dum ait: *Non ſolũ animarum ſaluti, verum etiam humanorum corporum ſanitati, atq; neceſſitati pia diligentia B. Virgo prouidet, & medetur. In locis quippe memoriæ ſanctitatis eius dicatis, claudis greſſum, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbenſq; innumera beneficia ſanitatum.* Et pulcherrimè S. Georgius Hierapolita Nicomedien. Or. in SS. Marty. Coſmam, & Damianũ, vbi ſic loquitur: *Per Mariam, infirmum hominũ genus, ac poſtquam verè bonam valetudinem amiſiſſet, ſanitatem recepit, morborumq; depaſcentia cobibita eſt: Per eam, morbos inferens inobedientia ceſſauit, terrenumq; humanũ genus ſanis obedientiæ virtutibus potitur. Per eam læthiferum peccatum à malis conuehendis*

Io. Trith.

S. Amedeus.

Georg. Nicomed.

impeditũ eſt, ac iuſtitiæ copia in homines abũdauit: Per eam vetus mortis tyrannis profligata eſt, mortuique diſſoluti à ſæculo, potenti Filij eius virtute, coaptatis mẽbris, ad neſciam ſenij vitam fuerunt euocati. Hanc porrò medendi in Maria virtutem agnouit S. Ioſephus Confeſſor in Menæis Græcorũ, die 2. Ianuarij Ode 4. dum dixit: *Medere cordis mei vulneribus, Virgo; motuſque meos internos ad voluntatem Numinis dirige: tentationes demitiga; & miſerandæ animæ meæ fluctus compone; cor denique meum anguſtijs preſſum, tuo ſolatio refice.* Et ibidem die 22. Maij: *Fractas vires miſerandæ animæ meæ, iamque longo tẽpore corroboratas ægritudines remedijs tuis perſana.* Agnouit S. Sabbas in eiſdem Menæis die 3. Ianuarij Ode 7. dum clamauit: *Tu peccati ſpinas venenata cuſpide pungentes, remediorum, quæ præbes, inundatione obtundis.* & ibidem die 12. *Tu, quæ fontem impaſſibilitatis generaſti, mihi à paſſionibus vulnerato remedium affer, ò Virgo.* Et die 21. Maij: *Cordis mei, ò Virgo, per diabolicos dentes acerbè vulnerati, ægritudinem inſanabilem cura, eamque tanta medicandi facultate, quanta polles, dignare, &c.* Agnouit Anonymus, ſiue ipſamet Eccleſia Græca, die 26. Februar. Ode 6. dum hunc cum Virgine ſermonem habuit: *Animæ meæ atrocia, & curatu aſperrima vulnera, tuæ ſpiritualis Chirurgiæ beneficio cura, & tanquam efficacia pharmaca, cruciatus Filij*

S. Ioſeph.

S. Sabbas.

Eccl. Græca.

Digitized by Google

lij tui eidem inſperge. Et die 21. Martij Ode 5 *Cordi meo per crebros impetus hoſtiles vulnerato, vt miſeratrix indulge Medicinam, tu per quam incarnatus eſt ille, qui pro nobis vulnerandum ſe dedit in Cruce*. Agnouit S. Theophanes die 17. Ian Ode 8. dum hæc lit ris, memoriæque mandauit: *O intaminatiſſima Genitrix Dei, animæ meæ vulnera, & inflictas à peccato cicatrices emunda, fontibus è Filij tui latere profluentibus abluens, & tuis ex illo gratiæ fluentis eaſdem abſtergens*. Agnouit S. Ioannes Damaſcenus, die 27. Iulij, dum publicis monumentis conſignatum reliquit: *Cor meum malefico Serpentis veneno infectũ, potenti pharmaco tuo, ne perimatur, conſerua, ò Deipara*. Agnouit denique Seraphicus Doctor Bonauentura in Pſalterio B. Virg. dum eidem B. Virgini his vocibus ex cordis intimo exprompttis ſupplicauit: *Miſerere mei, Domina, ſana infirmitatem meam, tolle dolorem, & anguſtiam cordis mei: infunde gratiam de theſauris tuis, & vnguentis tuis placa dolorem noſtrum: Ablue omnia peccata noſtra; ſana omnes infirmitates noſtras: vnguento pietatis tuæ medere contritis corde, & oleo miſericordiæ tuæ refoue dolores noſtros*.

S. Theoph.

S. Io. Dam.

S. Bonau.

12. *Cœlum ſi quis Virginem appellet*] Sine numero ferè ſunt Patres, præſertim Græci, qui Deiparam Virginem Mariam Cœli nomine nuncuparunt: vt S. Gregorius Thaumaturgus Serm. 3. de Annunc. *Maria Virgo alterum*

S. Gregor. Thaumat.

Digitized by Google

in terra Cœlum, vt Sanctus Methodius Epiſcopus Tyri, & Martyr in Homilia de Purifica-
S.Method. tione Beatæ Virginis: *Verè Regina, quæ verè capax Cœlum ad Deum, qui nuſquam alioquin capi poteſt, recip endum facta*. Vt S. Athanaſius Archiepiſcopus Alexandrinus, Serm. in
S.Athan. Deſcriptione Sanctiſſimæ Mariæ: *Non coinquinatum fuit illud Cœlum ſecundum, nempè*
S.Epiph. *Maria*; vt S. Epiphanius Salaminæ Cyri Ep iſc. in Serm. de Laud. Virg. *Anna grauida effecta, Cœlum peperit, ſanctam puellam Mariam: illa*
S.Io.Chri. *enim reperitur eſſe Cœlum*. vt S. Io Chryſoſtomus Archiepiſcopus Conſtant. Or. in Hypapãtem Domini: *Aue igitur Mater, Cœlũ, puella,*
S. Proclus *Virgo*. vt S. Proclus Archiepiſcopus pariter Conſtãtinopolitanus, in Or. 1. quæ eſt de Laud. Virginis: *Ancilla, & Mater, Virgo, & Cœ-*
S. Andreas Cret. *lum*. vt S. Andreas Cretenſis Archiepiſc. Hieroſolymitanus Serm. in Salut. Angel. *Aue gratioſa, Dominus tecum, Salue Cœlum, Solis*
Heſichyus *gloriæ cœleſte tabernaculum*. vt Heſichius Hieroſolymitanus Or. 2. de Laud. Virg. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca Sanctificationis tuæ; quia enim Sol exiſtis, neceſſario*
S.Sabbas *Virgo vocabitur Cœlum*. vt S. Sabbas in Menœis Græcorũ apud Simonem Vvagnerech in Pietate Mariana Græcorum, num. 51. *Quoſnam tibi titulos dabimus, ò gratia plena? nempè vocabimus Cœlum, quia ex te Sol Iuſtitiæ or-*
S.Coſmas *tus eſt*. vt S. Coſmas Hieroſolymitanus in iiſdem Menœis, die 15. Aug. Ode 4. *Videte, ò gẽtes*

& ob-

& obſtupeſcite: Cœlum iſtud terreſtre, nempè Deipara, in terra cœleſti, quæ nulli eſt corruptioni obnoxia, collocatur. vt S. Germanus Patriarcha Cõſtãt. Or. 1 de Aſſumpt. B. V. *Dei capax Cœlum viſa es, ô Maria, eò quod illũ ſinu tuo capaci geſtaſti*. vt S. Io. Damaſcenus Or. 2. de Aſſumpt. *Hodierno die Virgo illa immaculata, quæ verè viuum Cœlum extiterat, in cœleſtia tabernacula introducitur*: vt Ioannes Eubeus, Orat. in Concept. SS. Dei Genitricis: *Reuera beati, terq; beati, ô Ioachim, & Anna, ſed cunctis beatior progenies, filiaque Dauid, ex lumbis, vtroque veſtro progredienda: nam vos terra eſtis, illa verò Cœlum*. vt S. Theodorus nouus Confeſſor, in Orat. de Natiuit. Beatæ Virg. *Aue Cœlum, regionis mundum ambientis altiſſima pars, ſtellata ſplendoribus, ex qua ortus eſt Iuſtitiæ Sol, ferens hominibus ſalutis diem, veſpere expertem*. vt Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Orat. in S. Mariæ Natiuitatem: *Oportebat, vt quæ te virtutum modis, veluti Stellis, Cœlum effeciſſet, iuſtitiæ Solem prætendens fidelibus vniuerſis agnoſceretur*. vt S. Ioſephus Cõfeſſor in Menœis Græcorum, die 14. Auguſti, Ode 4. *Domus illa, nempè Virgo, qua compræhẽditur omnia compræhendens, iam modo ad Cœlos tranſitũ facit, vt illos inhabitet, ipſa quoq; Cœlum exiſtens*. vt Leo Imperator, cognomento Sapiens, Or. in Aſſumpt. Deiparæ: *Et magis iam vbique adeſt animatum illud Cœlum, nempè Maria, omniũ ſimi-*

S. Germã.

S. Io. Dam.

Io. Eubeus

S. Theodo.

Photius

S. Ioſephus

Leo Imp.

ſimiliter curam gerens, beneficentiæ ſuæ guttas diſtillans, arentiſque vitæ noſtræ conſtitutionem, cuius peccatũ cauſa, irrigans: vt Ioãnes Geometra, Hym. 2. ad B. Virginem.

Io. Geom. *Salue Cœlum homines luſtrans, Soliſque reducens,*

Qui carnem ex te habuit, lumina conſpicua.

Vt Iacobus Monachus Orat. in Natiuit. Sanctiſſimæ Dei Genitricis: *Quam Mundo lætiſſima luce colluſtratum eſt Cœlum, glorioſo illo, ac capaciori adueniente Cœlo, nempè Maria.* Alios etenim Patres, qui Cęli Epitheto Deiparam exornarunt, in præſentia enumerare ſuperſedeo, quia in Cœlo Mariano, quod molior, ſunt, Deo dante, prolixiori ſerie percenſendi.

Iacob. Monachus.

13. *Qui verò tunc Sacerdotali miniſterio fungebatur Rubim*] Hieronymus, ſeu Author Sermonis de Ortu Virginis apud Hieronymũ, tradit, Sacerdotem, à quo Ioachim publicè in Templo ob ſterilitatem confuſus, non Rubim, ſed Iſsachar nomine fuiſſe appellatum. *Ea tempeſtate*, inquit, *Iſſachar Pontifex erat; cumq; inter cæteros conciues ſuos etiam Ioachim cũ oblatione ſua videret, deſpexit eum, & munera eius ſpreuit, interrogans, cur inter fœcundos infœcundus ipſe ſtare præſumeret.* Sic ille. Verùm cum Ioſephus, qui in Libris Antiquitatum, & de Bello Iudaico, Pontificum tunc temporis nomina recenſet, nullum referat, qui vel Rubim, vel Iſſachar vocaretur, tanquam à veritate alienum cenſeri debet, Sa-

S. Hieron.

cer.

Digitized by Google

cerdotem prædictum, Rubim, vel Iſſachar nomine nuncupatum: niſi dicamus hunc Rubim, vel Iſſachar, non fuiſſe Principem Sacerdotum, ſed de illorum numero, qui in Templo miniſtrabant. Quod innuere videtur S. Euſtathius in Hexameron, dum vocat ſimpliciter Rubim quemdam, ſinè Sacerdotis addito: *Iam celeberrimo*, ait, *die feſto appropinquante, omnibuſque, vt moris erat, munerum magnificentia donantibus; Primus Ioachim, vt primus deferret, accurrit: Sed Rubim quidam eũ remoratus eſt, non licere ipſi primum offerre affirmans, qui in Iſrael adhuc ſine prole degebat.* ſic ille. Vide Baronium t. 1. Annal. Eccleſ. in Apparatu, n. 44. & Nouarinum in Vmbra Virginea, n. 1206. S. Euſthat.

14. *Semper virens, Animoquè iucundiſſimũ Vmbraculum.*] Conſentit S. Sabbas in Menæis Græcorum, die 1. & 27. Ianuarij, dum Mariam vocat, *Vmbraculum fontanum aquæ ſalientis in vitam æternam*; atque *Vmbraculũ laboris æſtu confectorum*. Nec diſſentit Albertus Magnus, ſuper Miſſus eſt Angelus, cap. 162. dum eandem nominat, *Vmbraculum Infirmorum, refrigerans vmbra miſericordiæ, quos reuerberat Sol radijs iuſtitiæ. Vmbraculum* etiam *Spiritus Sancti* ſalutat Deiparã S. Methodius Martyr in Threnis Hieremiæ apud Caniſ. l. 1. de Deipara cap. 2 *Vmbraculum protectionis in tentationibus noſtris*; atque *Vmbraculum Dei placitum* adſtruit S. Bona- S.Sabbas Alb. Mag. S.Method. B.Bonau.

uentura in Pſalt. B Virg. atque *Vmbraculũ ab æſtu in die Iudicij ſeruientibus, & amatoribus ſuis*; itemque, *Vmbraculum per aſſumptã ex ea carnem toti Eccleſiæ à Deo præparatum*; agnoſcit Ricchardus de S. Laurentio de Laudib. Virginis. lib 11. & 12.

Ricc. à S. Laur.

15. *Fama permeans Orbem vniuerſum.*] Adeò B. Virgo Orbem vniuerſũ optimæ famæ ſuæ redolentia inæſtimabiliter adimpleuit, vt non ſolum à S. Bonauent. in Spec. c. 8. *Propter virtutes & exempla ſua tam laudabilia, appellata ſit Famoſa: propter miſericordiam, & beneficia ſua tam inenarrabilia, Famoſior; & propter gratias, & priuilegia ſua tam mirabilia, Famoſiſſima*: Sed ab Iſidoro noſtro, ipſa Fama, Orbem vniuerſum permeans meruerit appellari. *Cuius enim nomen præconatur Mundus* (inquit Alanus Inſulenſis in illud Cant. 1. Oleum effuſum nomen tuum) *niſi Virginis huius? Cuius laus celebratur in ore populi fidelis, niſi Virginis Matris? Et eleganter Fama, & gloria nominis eius Oleo effuſo comparatur. Oleũ eſurientem reficit, ægrotantem ſanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammã nutrit: Sic & in laude Virginis reficimur exemplo eius, ad virtutum medicamina inuitamur; aduerſitatibus feſſi, eius patientia recreamur; vita eius fama illuſtramur. Nominis fama diffunditur, & non ſolum oleo, ſed & oleo effuſo nomen eius comparatur; quia ſicut oleum effuſum magis redolet; ſic*

S. Bonau.

Alã. Inſul.

Digitized by Google

ſic quantò magis Nomen Virginis dilatatur, tantò magis gloria augetur. Sic Alanus, qui, & ibidem ad illa verba; Dũ eſſet Rex in accubitu ſuo, ait in perſona Virginis: *Dũ eſſet Rex in accubitu ſuo, ideſt, Dominus Ieſus in requiẽ aſſumptus, Nardus mea dedit odorem ſuum; ideſt fama mea, quæ prius erat humilis, & deiecta, per totum Orbem eſt diffuſa*. Annuit Philippus Abbas Bonæ ſpei, l. 6. in Cant. Cant. cap. 9. dum ſcribit: *Mundum vniuerſum Virginis fama, vel notitia ſic impleuit, vt non ſolum veri, ſed etiam falſi fideles videantur eius laudibus exultare, & quos non deuotio, eos vel occaſio faciat collaudare*. Fauetque Dionyſius Carthuſ. in Concione de Feſto Conceptionis B. V. dum exponens de B. Virgine illud Eccleſiaſt. 24. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, loquitur in hunc modum: *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatẽ odoris; ideſt, ſuauem odorem: hoc eſt, bonam virtuoſamque famam; quia tam ſancta, & incomparabilis fuit vita Virginis glorioſæ; tantaq; gratia, ac dignitas collata eſt ei, præſertim per hoc, quod Mater Filij Dei effecta eſt; quod ex ea optima fama proceſſit ad omnes credentes*. Plura de Fama Virginis, eiuſque Nominis per vniuerſum Orbem celebritate, non ſolum idem Dionyſius in Caput 24. Eccleſ. ad illa verba, Memoria mea in generatione ſæculorum: & lib. 3. de Laudibus Virginis artic. 17 Sed Leo Imperator in Orat. de Aſſumptione: Idiota in lib. de Contem-

Philip. Ab.

Dionyſ. Carth.

templat.B.Virg.cap.5. Amedeus Lauſan. Hom. 7.de Laud.Virg. Hugo Victorinus tom. 2. Ser. 46.47. & 5 . Mauritius de Villa Probata, in Corona B.Virg. Serm 18. Bonauentura in Speculo B.Virg.cap.7.& 8. Et præſertim Albertus Magnus in Biblia Mariæ ſuper Librum Iudith; & in Mariali ſuper Miſſus eſt Angelus,cap.212 vbi ponens in Maria benedictionem Ioſeph, Gen.49. cuius benedictio, bonam famam quã-tum ad ſeipſum complectebatur, ait, Virginem Beatiſſimam famæ plenitudinem habuiſſe.

16. *Deſijt quoquè Anna liberos parere.*] Hoc Iſidori teſtimonio, manifeſtè refellitur opinio illa de triplici S. Annæ Connubio, & de tribus ab ea genitis filiabus; quam licet Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, alijque ex poſterioribus ſequuti fuerint; ea tamen, quod nullum habeat ex veteribus Patribus auctoré, tanquam ex apocryphis deſumpta, & veritati minimè conſentanea, vnanimi conſenſu à recentioribus noſtri ſæculi meritò reijcitur. Vide inter alios Laurentium Cuperum Ord. Carmelit. Sacræ Theologiæ Licentiatum, qui peculiarem hac de re Librum edidit, cui titulum dedit: B. Annæ Genealogia & Vita: in quo ex profeſſo docet, eam non tres Maritos habuiſſe, vt vulgò perſuaſum fuit; ſed ex Viro vnico Ioachim vnicam ſuſtuliſſe filiam, poſt longam ſterilitatem, videlicet, Dei Genitricem Mariã. Necnon Ioannem Molanum lib. 3. de Picturis cap.28. vbi pro opinione de vnico Annæ Marito

to Ioachim, & vnica eius Filia Dei Genitrice, allegat Euthymium Zigabenum, vetuſtum Auctorem Græcum, in cap. 19. Io. Cornelium Ianſenium cap. 143. Concordantiæ Euangelicæ: Petrum Caniſium lib. 1. de B. Maria cap. 4. Melchiorem Canum lib. 11. de Locis Theologicis, cap. 5. Iodocum Clictoueum, & alios.

17. *In ea nihil eorum, quæ apud Homines illaudata ſunt.*] Vt meritò ſcripſerit pijſſimus, Chriſtique amans Imperator Emanuel Paleologus, in Orat. in ſummè venerandam Sacratiſſimæ Dei Matris Dormitionem: *Hoc porrò euenire omnibus neceſſe eſt, qui aliquem de Maria ſermonem habere voluerint. Alterum enim è duobus erit omninò, aut nihil dicere de Virgine, aut ſi dicas, laudare. Nulla enim ratione fieri poteſt, vt loquaris de illa, & laus non ſit, quod loqueris: quandoquidem & ipſa, & quicquid ſpectat ad ipſam, celebratiſſimam habent gloriam.* ſic ille. Vide Didacum de Celada in Tractatu de Iudith figurata, cap. 8. verſu 8. §. 4. vbi adductis illis verbis de Iudith: Neque erat, qui loqueretur de ea verbum malum: inter præcipua Mariæ Elogia recenſet, neminem loquutum fuiſſe de illa verbum malum.

Emanuel Imp.

18. *Communi infortunio ſuperiorem.*] Commune infortunium Humano generi accidit in Adam: *Per vnum hominem,* (inquit Apoſtolus ad Rom. 5.) *in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors; & ità*

Rom. 5.

in

Digitized by Google

in omnes Homines mors pertranſijt; in quo omnes peccauerunt. Fuit enim Adam caput humani generis, & in eſſe naturæ, & in eſſe moris, & in illo fuimus omnes. *Perijt Adam; & in illo omnes perierunt*; vt loquitur S. Ambroſius in cap. 15. Lucæ. Vnde Concilium Arauſicanum Can. 1. ait: *Si quis per offenſam præuaricationis Adæ, non totum, ideſt, ſecundum corpus, & animam, in deterius dicit Hominem commutatum; ſed animæ libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduerſatur Sacræ Scripturæ.* Quod confirmat Concilium Tridentinum Seſſ. 5. in Decreto de peccato originali. Hoc autem communi humani generis infortunio ſuperior B. Virgo aſſeritur ab Iſidoro, quia ad eius altitudinem originalis peccati contagio, quæ propter Adæ præuaricationem mortales omnes infecit, ex ſpeciali Dei gratia non peruenit. *Caro Virginis ex Adam ſumpta, maculas Adæ non admiſit,* inquit B. Petrus Damianus in Sermone de Aſſumptione.

S. Ambroſ.

Concil. Arauſ.

D. Petrus Dam.

19. *Nullius autem criminis labe, nemo ſimilior Chriſto, quam Virgo.*] Vrgent hoc argumentum Suarez tom. 2. in 3. p. diſput. 3. ſect. 5. Valentia, tom. 4. diſp. 2. q. 1. p. 3. & Salazar in tractat. de Conceptione cap. 3. num. 15. Atq; ex ſimilitudine B. Virginis cum Filio, eandem B. Virg. ab originali peccato prorſus immunem probare conantur: Ait enim Suarez: *Confirmatur*

Suarez

Digitized by Google

matur hæc ratio ex ſimilitudine, quam eſſe oportuit inter Filiũ, & Matrem, præſertim in moribus, & gratia, & animæ, ac corporis puritate. Decuit ergo, vt in carẽtia originalis peccati eſſent ſimiles, licet non æquales. Eſt enim originale peccatum habitus diſſimilitudinis ad Deũ, homini ingenitus; vt Dionyſ. loquitur c.2. de Eccl. Hierarchia; huiuſmodi habitũ per baptiſmũ expelli docens, & per gratiæ infuſionem, quæ hominẽ facit ſimilem Deo. Non ergò decuit huiuſmodi habitũ vel vno momẽto eſſe in Virgine, quã oportuit Filio eſſe ſimillimam, cũ illi data ſit, velut in adiutorium ſimile ſibi. Vnde Auguſt. l. de Aſſumpt. Virginis, c.5. ſimili coniectura vtitur, vt oſtendat carnem Virginis non vidiſſe corruptionẽ, quia nec illam Chriſti caro vidit. Hæc Suar. Valentia verò: *Decet maximè, vt inter Filium & Parentem ſit quanta maxima ſimilitudo eſſe poſſit, citra vllam indecorã, & deformem diſſimilitudinem: Eſt autem peccatum, præſertim mortale, quale originale eſt, indecora quædam, & deformis diſſimilitudo à Deo, cum per illud deficiat quis à Iuſtitia, & à rectitudine, cuius diuina* Bonitas *eſt prima, & perfectiſſima norma, & origo. Igitur maximè decuit Virginem Dei Matrem carere prorſus peccato originali, per quod fuiſſet nimiũ indecorè, & deformiter Deo diſſimilis.* ita Valentia. Salazar autem: *Sanè vt Virginem abſolutam, & perfectã Chriſti formã appellare liceret, opus fuit, vt nihil in ipſa prœmitteretur, in quo filius* Valentia. Salazar.

ei

Digitized by Google

ei diſſimilis eſſe ſine aliqua ſui iniuria non poſſet: atque adeò culpã originis in ipſam minimè cadere oportuit, ne in ea parte, Filio diſſimilis eſſe cogeretur. Hactenus Salaza. Vide Serranũ in tractatu de Conceptione, l.1.c.7.n.7.& 8.l.2. cap.31.n.10.& cap.32.n.44.

20. *Sed intelligibilibus etiam Ordinibus Angelorum, cauſa incorruptionis.*] Adſtipulatur Albertus Magnus, ſuper Miſſus eſt, c.184. dum ait: *Angeli accipiunt à Domino Ieſu illuminationem, perfectionem, beatificationem: Ipſe eſt enim, in quem deſiderant Angeli proſpicere, 1.Pet.c.1. per quem omnia reſtaurantur in Cœlo, & in terra. Epheſ. 1. Ergo & Angeli recipiunt quoddam eſſe gloriæ à Beatiſſima Virgine; ergo & ipſorum eſt Mater in eſſe gloriæ. Item ipſa eſt Mater gratiæ: ſed gratia generat gloriam: ergo ipſa eſt Mater gloriæ: ergo ipſa eſt Mater omnium, qui ſunt in eſſe gloriæ: ergo ipſa eſt* Mater *Angelorum.* ſic ille. Porrò quòd B. Virgo mereri potuerit de congruo gratiam, & gloriam eſſentialem Angelis, & quòd intuitu meritorum congruorum eiuſdẽ B. Virginis à Deo præuiſorum, gratia, & gloria eſſentialis Angelis fuerit collata, probat optimè inter alios P. Io. Baptiſta Nouatus, tom 2. de Eminentia Deiparæ, c.6. q.14. Vide Benzoniũ in Expoſit. Pſal.86.c.29. & Miechouium, to.2. in Litanias Lauretanas diſcurſu 372 num. 1.

Alb: Mag.

21. *Nam & illos certum eſt Hymnos Virgini concinere.*] Quomodo enim Angeli Dei-

paræ

Digitized by Google

paræ Virgini Hymnos non concinant, cum ipſa à D.Ephrem, in Serm.de Laudib. Virginis, *Hymnodia Angelorum*: à S. Io. Damaſceno in Canticis Eccleſiaſticis, ſono 1. *Carmen incorporeorum*; ideſt Angelorum corpore carentium; atque à S.Anſelmo Hymno 2. de Beata Virgine: *Laus, Decus, & Gloria bonorum Angelorum* nuncupetur? Rectè Ildephonſus in lib de Parturitione B.Virginis in fine; *Omnis*, inquit, *illa ſupernorum Societas, hymnidicis indeſinenter Mariam celebrat melodijs*. Rectè etiam Leo Imperator, Orat. in Annunc. *Angelorum Choris dulce eſt tuas Laudes concinere, ò Maria; & beatam te prædicant, tanquam Regis Matrem*. Et rectè ſimul Emanuel Paleologus Imperator, Orat. in Dormitionem Dei Matris: *Taceo, ò Dei Mater, Angelorum Ordines, qui mihi videntur præclariſſimos tibi Hymnos tacitis concinere vocibus, ſtupendiſque præconijs, quæ mortalium mens capere non queat*.

S.Ephrem
S.Io.Dam.
S.Anſelm.
S.Ildeph.
Leo Imp.
Emanuel Imp.

NO-

NOTÆ IN ORATIONEM II.

De Præſentatione Sanctiſſimę Dei Genitricis.

1 POSTERIORA *hæc Sancta Sanctorum.*] Celebrat etiam Deiparam, vt Sancta Sanctorũ, S. Io. Damaſcenus in Canticis Eccleſiaſticis Gręcorũ, ſono 1. dum canit: *O Sancta Sanctorum, Virgo intacta, Sanctum Sanctorum nobis peperiſti Sanctos omnes facientem, Chriſtum Redemptorem.* Cui ſubſcribit Ricchardus de S. Laurentio, lib. 10 de Laud. Virg. dum ſcribit: *Sancta Sanctorum locus Templi ſecretior, ad quem nullius erat acceſſus, niſi tantum Sacerdotis. Dicta autem Sancta Sanctorum, quia exteriori Oraculo ſanctiora: Sicut Cantica Canticorum, quia Cantica vniuerſa præcellunt. Maria verò rectè dicitur Sancta Sanctorum, quia ſummum Sacerdotem, qui dicitur Sanctus Sãctorum, Danielis 9. ſolum in ſe ſuſcepit:* ſic Ricchardus.

2. *Vt in illis commoraretur.*] De commoratione B. Virginis in Sanctis Sanctorum, vide quæ diximus in Mariali S. Germani Patriar-

triarchæ Conſtaninoplit in Notis ad Orat. ſecundam de Præſentatione, num.1.

3. *E Cœlo Angelus inſolitum Virgini miniſtrabat alimentum*.] De alimento item inſolito cœlitus per Angelũ Virgini miniſtrato conſule, ſi libet, præfatum Mariale Sancti Germani, in Notis ad Orationem primam de Præſentat.num.10. & in Notis ad Orat.2. de eadem, num.4.

4. *Cũ enim Virgo cunctis Hierarchis vicinior Deo neceſſariò ſit*.] Quamuis Beata Virgo, quia Sacerdotij, ob ſexum, incapax, Hierarchis, ideſt, Pontificibus, ac Miniſtris Eccleſiæ cedat in commiſſi miniſterij executione; vt Gabriel Lect.4. ſuper Can. loquitur: in gratiæ tamen plenitudine non ſolum illos, ſed creaturas ſupergreditur vniuerſas. Hinc Albertus Magnus in Mariali ſuper Miſſus eſt, cap.74. *Licet*, inquit, *Beatiſſima Virgo Sacramentum Ordinis non receperit: quicquid tamen dignitatis, vel gratiæ in ipſis confertur, de hoc plena fuit. In ipſis enim confertur ſeptiformis gratia; Hæc autem omnifariam gratia plena fuit. Item tria ſunt in Sacramento Ordinis, Dignitas miniſterialis, Poteſtas ſpiritualis, Adminiſtratio executionis. Hæc autem tria Beatiſs. Virgo habuit in ſe æquipollenter, & excellenter. Miniſtri Eccleſiæ habent dignitatem beneficialem per characterẽ excellentiæ: Beatiſs. autem Virgo habet coronam Eccleſiæ militantis, & Eccleſiæ triumphantis.* Alb.Mag.

 Vndè

Vndè Summus Miniſtrorum, Papa ſcilicèt, appellatur, & eſt ſeruorum Dei ſeruus: hæc autem eſt Regina, & Domina Angelorum. Ille ſeruus ſeruorum Dei; illa Imperatrix totius Mundi. *Item in Miniſtris eſt poteſtas ſpiritualis, temporalis, delegata à Deo, vel ſubdelegata, & Vicaria: In ipſa autem eſt plenitudo poteſtatis cœleſtis perpetua ex authoritate ordinaria. Item in Miniſtris eſt executio ligandi, & ſoluendi per vſum Clauium: in ipſa autem eſt dominandi legitima poteſtas, ad ligandum, & ſoluendum per imperium: & ſic quicquid eſt dignitatis & gratiæ in Ordinibus in genere, conſtat B. Virgini minimè defuiſſe.* Sic ille, loco citato; Qui & cap. 75. ſequenti, ſtatim ſubdit: *Sed ne videatur virtutes, ſiue dignitates generales habuiſſe, & ſpecialibus caruiſſe: dicimus ipſam ſingulorum Ordinum dignitates, & gratias per æquipollentiam, & cum excellentia poſſediſſe. Habuit autem cum Exorciſtis, Dæmonum expulſionem: Vnde Geneſ. 3. Ipſa conteret caput tuum: & Iudith Holofernem interfecit, & Heſter vicit Aman. Cum Oſtiarijs habuit introductionem mundorum, & excluſionem immundorum. Ezech. 44. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur: Princeps ingredietur per eam: quaſi diceret: Porta hæc, Principem, & imitatores ſuos introducet, & indignis clauſa erit. Habet etiam cum Acolythis illuminationem: Cant. 3. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, quaſi Aurora conſurgens.*

Digitized by Google

gens. Num. 24. Orietur Stella ex Iacob. Habuit cum Lectoribus omnium Prophetiarum expoſitionem ad litteram in ſe ipſa. Vnde Iſaiæ 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium: Doctrina eſt diſciplinæ Dei. Habet cũ Subdiaconis doctrinæ Apoſtolicæ oſtenſionem, vnde ſignificatur per Arcam, in qua fuerunt Deuteronomius, & Manna, ideſt, Diuina ſapientia. Habet cum Diaconis verbi Domini conſeruationem, alijs ad ſcribendum narrationem, conſiliorum Domini perfectam impletionem: Vnde Lucæ 2. Maria conſeruabat omnia verba hæc. Habet cum Sacerdotibus Dominici corporis per ſeipſam formationem, tractationem, communicationem; hoc eſt quod corpus Dominicum, mediante eius verbo, & conſenſu, de carnibus, & ſanguinibus ipſius formatum fuerit: & ipſum familiariſſime, & diutiſſimè tractauit, & in cibum, & potum communicauit; & per hoc nos omnes ad iugũ ſuum ſuaue, & onus leue, charitatem ſcilicet, ligauit, & ab omnibus culpis, & pœnis non ſolùm ſolutos oſtendit, ſed etiam abſoluit iuxta illud Io. 6. Qui manducat carnem meam, &c. Habet cum Epiſcopis Clericorum ordinationem, Præbendarum collationem, Templorum conſecrationem, ſacrarum Virginum velationem: Ordinat enim Epiſcopus *Sacerdotes per Sacramenti collationem: Beatiſſima autem Virgo per continentiæ obligationem, iuxta illud Iſaiæ 52. Mundamini, qui fertis*

Vaſa Domini. Confert etiam Epiſcopus præbendas. inſtituendo: Beatiſs. Virgo præbendas faciendo. Conſecrat & Epiſcopus Tẽpla corporalia, dedicando: B. Virgo Tẽpla ſpiritualia, caſtimoniam inſpirando, & ſibi illa ſpecialiter vendicando. Cõſecrat etiam Epiſcopus Virgines exterius benedicendo: B. Virgo conſecrat Virgines interius virtutibus adornando, & eas Filio ſuo deſponſando, & non tantùm Virgines, ſed & Virginitatem conſecrando. Habet autẽ cum Papa B. Virgo omnium Eccleſiarũ ſollicitudinem, poteſtatis ſpiritualis plenitudinẽ, priuilegiatorũ actuũ vniuerſitatem. Eccleſiarũ ſolicitudinem quia Papa eſt Pater patrũ; ipſa autem Mater omnium Chriſtianorum, imò omnium bonorum, iuxta illud Sap. 7. quoniam omnium bonorum Mater eſt. Poteſtatis plenitudinem in vita iſta, ſed non in Cœlo, nec in Purgatorio, nec in Inferno: Beatiſs. autem Virgo habet poteſtatem in Cœlo, & in Purgatorio, & in Inferno. Priuilegiatorum actuum vniuerſitatẽ, vt patebit infra, cum de priuilegijs eius inquiremus. Sic ergo manifeſtũ eſt, quòd quicquid eſt dignitatis, & gratiæ in Sacramentis Eccleſiæ, plenitudini gratiæ, quæ fuit in B. Virgine, omninò nihil deeſt: ſed eam hoc totum vel in gratijs ſacramentalibus, vel in earum æquipollentibus, vel excellentibus pleniſſimè poſſediſſe. Hactenus Albertus: cui totidem ferè verbis ſubſcribit S. Antoninus in Summa Theol. 4. p. tit. 15. c. 16. §. 2. & conſentit Io. Mauburnus in

Ro-

Roſario de Præconijs B.Virg.membro 6. dum Mariam vocans *Summam Sacerdotem poſt Chriſtum*, inquit: quod *licet ipſa ſacros Ordines non ſuſceperit, eos tamen per æquipollentiā tenuit, quia dignitatem, poteſtatem, & adminiſtrationem in Eccleſia habet*. Sed de hac re pleniùs in Sacerdotio Myſtico Mariano, ſi votis annuere dignabitur Deus. Io.Maubu.

5. *Sola puriſſima propheticum quoque illud euitare poſſet, In iniquitatibus conceptus ſum: poſſetque de ſe ipſa affirmare: Solam non in peccatis concepit me Mater mea.* Solam etiam puriſſimam, & ſine Originalis peccati macula conceptam agnouerunt Deiparam omnes ferè Patres Eccleſiæ Græcæ; e quibus aliqui maximæ auctoritatis, & ſanctitatis nomine inſignes, atque apud Neotoricos Scriptores non ita obuij, in plurium, qui afferri poſſent, ſpecimen, ſunt in præſentia producendi. Et primò quidem (vt ab antiquioribus initium ſumam) talem agnouit Deiparam Sanctus Sabbas Abbas in Menœis Græcorum, die tertia Ianuarij, Ode tertia. *In te, quæ nulli vnquam culpæ affinis fuiſti, ſpem omnem meam repono: Nemo vt tu, Domina, inculpatus eſt æquè, nec præter te intaminatus quiſquam, ò næuo nulli ſubiecta: nam omnium Creatorem ventre tuo clauſiſti; qui miſericordia ſolus abundat.* Ibidem Ode 9. *Tu, ò macularum ſemper omnium expers, ligno vitæ ſimillima, non alium nobis* S.Sabbas

fructum germinaſti, quam Chriſtum, qui omnibus ad vitam aperit aditum . & die 12. Febr. Ode prima: *Tu quidem, ò Virgo, illud diuinæ originis Verbum, quod prius incorporeum fuerat, corpore humano indutum peperiſti; nam ab æterno propter ſplendorem integritatis & pulchritudinem Virginalem, ac demum propter Chariſmata, ſeu gratiæ dona, quæ te ab omni næuo immunem fecerunt, manifeſtè ſola fuiſti digna tanti partus honore* . Quomodo enim nulli vnquam culpæ affinem, omnium inculpatam, & intaminatam, nulli næuo ſubiectam, macularum ſemper omnium expertem, atque ab omni næuo immunem, verè ſalutaſſet: ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſe ipſa affirmare, ſolam non in peccatis concepit me mater mea? Agnouit S. Andreas Cretenſis in eiſdem Menæis die 8. Septemb. Ode 3 *Beatam te prædicat ſemper omnis creatura ex Anna genitam, ex radice Ieſſe Virgam immaculatam* . Ode 4. *Dediſti Saluator religioſæ Annæ ex eius vtero fœcundum fructum ſine macula*, *Matrem tuam* . Et in Orat. de Natiu. Beatæ Virg. *Sicut olim è terra Virgine, & intacta lutum formauit in Adam; ita nunc quoque ſuæ Incarnationis materiam præparans; loco alterius, vt ita dicam, terræ; puram hanc Virginem, & ab omni prorſus labe vacuam è tota natura delegit Deus* . Quomodo enim Virgam immaculatam, fructum ſine macula, Virginem puram, atque ab omni prorſus labe

S. Andreas Cret.

va-

vacuam verè nuncupaſſet, ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſeipſa affirmare, ſolam non in peccatis cõcepit me mater mea? Agnouit S. Ioannes Damaſcenus in eiſdem Menœis, die 22. Ianuarij. *Salue Paſſercule nitidiſſime, abſquè vlla næui vel vmbra. O ſemper, & vbique inculpatiſſima Numinis Mater.* Et die 9. Martij in Veſperis: *Obſecro te, ò ab omnibus næuis intacta.* Et die 18. Iunij: *Tuam hæreditatem hoſtes inuadunt, ò intaminatiſſima omnium Domina.* Quomodo enim paſſerculũ nitidiſſimum, abſque vlla næui vel vmbra; ſemper & vbique inculpatiſſimam, ab omnibus næuis intactam, omniumque intaminatiſſimam Dominam verè compellaſſet, ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſe ipſa affirmare; ſolam non in peccatis concepit me mater mea? S.Io.Dam.

Agnouit S. Theodorus cognomẽto nouus Cõfeſſor, Orat. in Natiuit. B. Virginis: *Iob ait; Cœli nõ ſunt mundi in conſpectu eius, & Stellæ non ſunt puræ coram illo: Maria verò quid purius, quid mundius? Terra eſt, in qua peccati ſpina non orta eſt. Terra eſt, non vt illa prior maledicta, cuius etiam fructus pleni ſunt ſpinis, & tribulis, ſed in qua benedictio Domini, & cui benedictus fructus ventris: Maria, noua ſecundæ creationis Dei Maſſa, ſanctiſſimæ generis primitiæ. Aue Rubus, conſertam igni miraculum, quem rubigo peccati non tetigit; nam et planta fuit intacta. Aue Vrna, confectum ex auro* S.Theodo.

Vas, quam nulla delicti labes infecit. Aue Sanctuarium; fons diuina ſcaturigine fluens, omnis Sanctimoniæ plena. Aue Liber Sigillis ſignate, quem nulla excogitabilis corruptela maculat. Aue Codex nouus, quem nulla prorſus attigit corruptio. Aue Aurum mundũ, ſpiritus igne probatum in vitæ fornace, nullamq; habens nequitiæ labem. Aue lignum imputribile, quæ ad peccandũ prona corruptionis vermemnon admiſiſti. Aue illibata, omni repræhẽſione ſublimior, ex qua Chriſtus ſincerus, & purus nequitiæ, omnium repræhenſionum purgator. Quomodo enim puriſſimã, mundiſsimã, à peccati ſpina, aç maledictione liberam, nouã ſecundæ creationis Dei maſſam, Rubum a peccati rubigine intactum, Vrnã nulla delicti labe infectam, Librum nulla excogitabili corruptela maculatum, Aurum mundum, omni nequitiæ labe carens, Lignum imputribile, illibatã, atq; omni repræhenſione ſublimiorem verè prædicaſſet, ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſe ipſa affirmare, Solam non in peccatis concepit me Mater mea? Agnouit S. Theophanes in Meneis Græcorum, die 17. Ianuar: *Vt inculpatiſſima Cõditoris Sponſa, me celeriter ex Dæmonũ machinationibus erue.* Ibid. Ode 7. *Immaculatæ, & omnium ſacratiſſimæ Virgini Mariæ acclamatione fauſta plaudamus.* Ibid. Ode 8. *O intaminatiſſima Genitrix Dei, inflictas à peccato cicatrices emunda.* & die 23. Februarij Ode 4. *O à cunctis ſordibus incontaminata, &*

S. Theophanes.

ſu-

ſuper omnes inculpatos inculpatiſſima Domina. Quomodo enim inculpatiſsimam, immaculatam, intáminatiſsimam, à cunctis ſordibus incontaminatam, & ſuper omnes inculpatos inculpatiſsimam verè decantaſſet, ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſe ipſa affirmare, Solam non in peccatis concepit me Mater mea? Agnouit S. Ioſephus Confeſſor in eiſdem Menæis, die 2. Ianuarij Ode 5. *Salue, ò cadentis Mundi erectrix, nulli vnquam culpæ ſubiecta.* & die 8. Ianuarij Ode 3. *Omni ex parte intemerata, ò Domina, imbecillitatem meam corrobora*. & ibidem Ode 7 *Fortitudo, laus, & ſalus mea eſt Dominus ille, qui te intaminatiſſimam Matrem elegit*. & die 6. Martij Ode 7. *Tibi intaminato recentiſſimi nitoris Volumini ſapientia diuina inſcripta eſt*. & die 17. Od. 1. *Filius æquè increatus, vt Pater, in te ſola reperit cauſam, cur ſimilem nobis naturam indueret: Te enim reperit ſolā puritate ſuper omnes creaturas fulgentem*. & die 20. Maij Od. 9. *Tu nauorum expers, ò Domina, Regis omnium Thronus effecta es*. & die 13. Iulij Ode 5. *Inquinatus ego turpitudine cogitationū, & homo nihili factus ob frequētia in leges diuinas delicta; te perquam ſuppliciter oro, quæ ſola maculam in te omnem ignoras, vt te moueat miſeratio mei*. & die 15. Auguſti Ode 8. *Illa creatura vnica ab omnibus næuis intacta, quam omnes hominum linguæ in vnum collectæ, Angelorum item omniū ora prædicatione digna pro-*

S. Ioſeph.

proſequi nequeunt. Et die 7. Sept. Ode 1. *E ſterili progreditur peccati ſterilitas, puriſſima omninò Regina, & ex omni parte immaculata*. Quomodo enim nulli vnquam culpæ ſubiectam: omni ex parte intemeratam, intaminatiſſimam, puritate ſuper omnes creaturas fulgentem, næuorum expertem, omni macula carentem, næuis intactam, puriſsimam, atque omni ex parte immaculatam verè publicaſſet, ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſe ipſa affirmare: Solam non in peccatis concepit me mater mea? Agnouit Ioannes Geometra, Or. in Annunciationem B. Mariæ: *Aue*, inquit, *cum gaudio concepta, cum gaudio in vtero portata, & cum gaudio nata: pariterquè cum gaudio concipiens, & in vtero geſtans, gignenſque gaudio non ſolum non fueris combuſta, ſed diuina inſuper effecta Domini planta*. Et in Hymno 3. de B. Virgine:

Io. Geom.

Gaude concretum ſublimi corpus Olympo,
Et vitij noſtri crimine Virgo carens:
Gaude, quæ Chriſto corpus mortale dediſti,
Gaude primæui libera labe patris.

Quomodo enim cum gaudio dixiſſet conceptã, & vitij noſtri crimine carentem, & primæui Patris labe liberam affirmaſſet, ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſe ipſa affirmare: Solam non in peccatis cõcepit me mater mea? Agnouit Georgius Nicomedienſis in Menœis Græcorum, die 21 Nouembris: *Venite*, inquit *populi omnes, & laudibus celebremus ſolam im-*

Georg. Nicomed.

Digitized by Google

immaculatam, ſolam Virginem, & immaculatam. Choreas ducant Ioachim, & Anna, quoniam ex eis proceſſit fœtus ſanctus, Maria lucifera, diuina lampas. Ad te omninò immaculatam miſſus fuit Gabriel, ò ſine macula, non coinquinata Dei *Mater, in Cœlo, & in terra glorificata.* Et in Orat. de Conceptione B.Mariæ: *Hodie Cœlum Solem fert non Occidentem, ſed Mundo ſine occaſu Orientem. Oportebat è generoſo lumbo germen oriri generoſiſſimum, & ſemper virentem hunc, pulcherrimumque naturæ ſurculum.* Quomodo enim ſolam, atque omninò immaculatam, fætum ſanctum, nunquam coinquinatam, Solem ſine occaſu, ſemperque virentem ſurculum verè pronunciaſſet, ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſeipſa affirmare: Solam non in peccatis concepit me mater mea? Agnouit Matthæus Cantacuzenus Imperator in cap. 2. Cant.verſ. 14. *Virgo omni ex parte labis expers, tanquam puriſſimum Templum in* Dei *electa eſt domicilium.* Et in cap. 4. v. 7. *Conſiderans totius labis expertem* Deiparam, *totius Orbis cauſam fuiſſe ſalutis, ad ipſam diuino ſuccenſus ſpiritu exclamauit dicens: Tota pulchra es proxima mea, & macula non eſt in te.* Quomodo enim omni ex parte labis expertẽ, domicilium puriſſimum, ac totam pulchram verè aſſeruiſſet, ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſeipſa affirmare: Solam non in peccatis concepit me mater mea? Agnouit Emma-

Matthæus Cantac.

Digitized by Google

manuel Paleologus pariter Imperator in Orat. de Dormitione B. Virg. *Simulatque concepta fuit B. Virgo; Deus illam gratia implebat, qui ſibi futuram Matrem præſtituerat. Imò verò cum illa erat ipſe, antequam eſſet nata. Nunquam tamen illi non fuit coniunctus; ſtatim atq; in ſterilis Matris vtero cæpit eſſe. Hoc ſibi vult illud Gabrielis,* Dominus *tecum: quod ipſe docet, diſtinguendo tempus hoc modo. Nam volens Cõceptionis modum intemeratæ Virgini declarare, interroganti, tempore vſus eſt futuro non præſenti, dicens: Spiritus Sanctus in te deſcendet: Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Sa- *lutando verò ait: Aue gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus. Non enim gratia plenam futuram, ſed vt exiſtentem, quod erat, appellauit, & Benedictam ſalutauit. Cũ gratia ſis plena, ò Virgo, Dominus tecũ. Quia verò illum habes in anima, Benedicta es in mulieribus. Verè beatam oportebat eſſe illã cuius anima incredibili pulchritudine eſſet ornata, & qualem nulla vnquam tulere tempora. Cunctis mulieribus ſola effugit damnationem ob peccatum: Maria ſemper ab omni peccato fuit immunis.* Quomodo enim faſſus eſſet gratia in conceptione impletam, ac in primo, quo in Matris vtero concepta fuit, inſtanti, Deum illi per gratiam fuiſſe coniunctum, ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſeipſa affirmare: Solam non in peccatis concepit me Mater mea? Agnouit denique Anonymus, ſeu Eccleſia

Emanuel Imp.

Græ-

Græca in Menæis die 4. Ian. Ode 4. *Ad te, dies, noctesque, ò præ omnibus inculpata, clamabo.* Ode 5. *Tu Scala ſublimis, & ad Cœlum vſque porrecta, per quam Chriſtus, à næuis omnibus libera Virgo, deſcendit.* Ode 9. *Animam meam per iniquitates cadauer effectam, reduc ad vitam, nullis vnquam maculis inquinata.* & die 19. Martij in Veſperis. *Solo bonitatis tuæ impulſu, ò inculpatiſſima, extremi hãc articuli mei neceſſitatẽ præcurre.* & die 25. *Miſericors, & amator hominum Deus prouidentia ſingulari perfecit, vt ſacra Virgo ab ipſo vitæ ſuæ principio, tàm omninò exiſteret pura, quam eſſe puram decebat illam, quæ tanto bono, ideſt Chriſto, digna exiſteret.* Quomodo enim præ omnibus inculpatam, næuis omnibus liberam, nullis vnquam maculis inquinatam, inculpatiſſimam, atque ab ipſo vitæ ſuę principio omninò puram verè nominaſſet, ſi talem non agnouiſſet, quæ poſſet de ſeipſa affirmare: Solam non in peccatis concepit me Mater mea? Eccl. Græca.

6. *Hierarcha, qui Dei Matrem excepit.*] S. Germanus Conſtantinopolitanus, & Georgius Nicomedienſis in Orationibus de Præſẽtatione Deiparæ, putant Sacerdotem exceptorem B. Virginis, à Parentibus in Templum deductæ, fuiſſe Zachariam S. Ioannis Baptiſtæ parentem. Qua de re, vide ſi libet, Notas noſtras in Mariale S. Germani ad Orat. 1. de Præſentat. num. 8.

Vt

Digitized by Google

7. *Vt vbicunquè eſſet, ſtatim efficeret Sāſta Sanctorum.*] Nec ſolum Sancta Sanctorum, ſed Paradiſum ipſum reddebat Virgo locum illum, in quo ipſa commorabatur. Vndè S. Amedeus Lauſan. Hom. 7. de Laudib. B. Virg. *Mariæ*, inquit, *præſentia, gratam Veris temperiem exhibebat; & quo fauens ſe verteret, Paradiſus erat.*

.Amed. Lauſ.

8. *Veluti terreſtris Deus.*] Deiparam Virginem Dei, vel Deæ Epitheto rectiſſimè inſigniuêre plures etiam alij: non quia in ipſa, vel per ſe, vel per Vnionem Hypoſtaticam, veram Deitatem eſſe crederent (vt Catholicis Hæretici falsò criminantur, contra quos optimè Caniſius, lib. 5. de Deipara cap. 11.) ſed ob ipſius ampliorem diuinæ gratiæ participationē, ſtrictiorem cum Deo coniunctionem, maioremque, quam vlli creaturæ fuerit communicata, ſimilitudinem. Vnde eximius B. Virginis Encomiaſtes Iuſtinus Miechouienſis, Diſc. 265. in Litanias Lauretanas, agens contra Hæreticos, qui ex eo, quod Catholici Mariam Deam vocarent, diuini cultus diminutionem argutabantur, in hunc modum ſcribit: *Si illam* (Mariam) *Deam cum D. Gregorio Nazianzeno appellamus, Dei honori derogatum nihil volumus. Eſt enim Dea, non aliena à Deo, ſed intima Dei, Soror Dei, Amica Dei, Sponſa Dei, Genitrix Dei, Solium gloriæ Dei, Templum Dei, Sacrarium totius Diuinitatis. Eſt Dea charisſmate gratiarum, ab ipſo gratiæ fonte*

Iuſt. Miechouien.

ſuper

ſuper omnes creaturas repleta. Dea *eſt Virgo Maria, quia* Deum Deorum *Saluatorem noſtrum de ſuo immaculato vtero mundo profudit. Quòd ſi illos Scriptura* Deos *appellat, ad quos ſermo* Dei *factus eſt: Io.* 10. *Cur Deam appellare non licebit eam, in qua Verbum caro factum eſt?* Sic ille. Idemque Diſcurſu 351. comparans Mariam cum Arca fœderis: *Arca fœderis*, inquit, *tam ſancta erat, vt ad* Deum *proximè accederet. Hinc in Scripturis ſacris frequenter Arca illa* Deus *appellatur. Exodi* 17. *verſu* 21. *dicitur de Candelabro; Vſque mane luceat coram* Domino, *ideſt, coram Arca. Exod.*38.8. *de Sūmo Sacerdote dicitur: Ingrediatur coram* Domino; *ideſt coram Arca. Ioſue diuiſurus terram, cap.*18.6 *ait ad populū: Huc venietis ad me, vt coram* Domino *Deo veſtro mittam vobis hic ſortem; ideſt, coram Arca. Tandem filij Iſrael ſteterunt in conſpectu* Domini. *Ioſue* 24. *v.*1. *hoc eſt, in conſpectu Arcæ.* Dauid *item Pſal.*131.5. *Arcam* Deum *appellat;* Donec *inueniam locum* Domino; *tabernaculum Deo Iacob: ideſt Arcæ, cui Templum ædificandum curabat. Pſal* 67. Deus, *cū egredereris in conſpectu populi tui, cum pertranſires in deſerto: de Arca loquitur. Cum enim Arca præcederet, Deus præceſſiſſe apertè dicitur. Ipſi autem Philiſtæi, vbi cognouerunt, quod Arca Domini veniſſet in caſtra. 1 Reg.* 4. 7. *timuerunt dicentes: Venit* Deus *in caſtra. Tanta igitur ſanctitate Arca pollebat.*

lebat, vt ipſo Dei *nomine gauderet, & Deus, ac* Dominus *paſſim diceretur. Non minori ſanctitate ipſa* Deipara *Virgo pollebat: tam enim proximè ad* Deum *acceſſit, vt non ſolum Diuinitatem redolere, ſed quodammodo habere videretur. Magnus ille Theologus Dionyſius Areopagita; cum in conſpectu Virginis adductus fuiſſet, parum abſuit, quin eam verum* Deum *crediderit; vt ipſe in Epiſtola, quam ad D.Paulum ſcribit, ingenuè fatetur. Sanctus Gregorius Nazianzenus eandem appellat Deam: intellige non per eſſentiam, ſed per participationem. Guerricus Abbas Serm.1 de Aſſumpt. Chriſtum Dominũ cũ B.Virgine iam moritura introducit ita loquentem: Veni electa mea: Communicaſti mihi, quod Homo sũ; communicabo tibi, quod Deus ſum. Philiſtæi Idolorum cultui deditis, Arcam, Deum nuncupauerunt. Collyridiani Hæretici Virginem* Deum *appellauerunt; quos refert, & damnat* D.*Epiphanius Hæreſi* 79. *Verùm ſicut Philiſtæi diuerſo modo ab Hebræis, Arcam fœderis Deum appellauerunt (putabant enim Philiſtæi, illam Arcam eſſe* Deum *verum Hebræorum, in illaque Numen aliquod contineri, quod modò in hunc, modò in illum locum transferretur. At verò Hebræi neque Arcam verum* Deum *eſſe credebant; neque in Arca verum* Deum *circumſcribi: ſed externos diuinæ præſentiæ effectus in ea præcipuè demonſtrari) ita* Catholici *diuerſo modo ab Hæreticis, B. Virginem*

ginem Deam *appellant . Hæretici enim naturã Diuinam ei ineſſe putabant*: Catholici *verò ſolùm diuinam naturam participare credunt : Deam, non per naturam, ſed per gratiam prædicant; quemadmodum & alios Sanctos, qui in Scripturis* Dÿ *appellantur . Pſal.*81.*Ego dixi, Dij eſtis; & Exod* 7 *Dominus ad Moyſen ait : Ego conſtitui te* Deum *Pharaonis. Tametſi hãc diuinitatem B.Maria alijs excellentius participauit*. Hactenus Miechouienſis. Summus etiã Mariani decoris aſſertor Petrus Caniſius, l.5.de Deipara, c.12. Deæ titulum Deiparæ à Sanctis tributum, contra Hæreticorum calumnias his verbis defendit. *Deus ipſe, qui vindicandi nominis, & honoris ſui zelo ardentiſſimo flagrat; ac veluti conſortis impatiens, gloriam ſuam alteri ſe communicaturum negat: hoc Moyſi famulo palam affirmat: Ego te conſtitui* Deum *Pharaonis. Exod.*7. *Ac iterũ:*Dÿs *non detrahes. Exod.*22. *inquit, de his, qui alios publica dignitate præcellunt. Apud Hebræos, Elohim, vnum eſt ex proprijs* Dei *cognomentis, quod tamen & Angelis tribuit Pſalmographus Pſal.*8. *vbi ſecundum Latinam verſionem decantat;* Minuiſti *eum paulò minus ab Angelis : vt taceam interim, quod Paulus* 2 *Cor.*4. *Satanam, ſæculi huius Deum appellat. Quare nec illud in calumniam rapiendum eſt, quòd apud Veteres, præſertim Nazianzenum, & Damaſcenum, Maria, Deæ nomen accipiat: cum & Hieronymus in cap.*1. *Epiſtolæ* Caniſius

ad Galatas; Apoſtolos Petrum, & Paulum, Deos, hoc eſt diuinos homines vocet: hucque dictum Prophetæ applicet: Ego dixi Dij eſtis: ita Caniſius. Quapropter haud mediocriter doleo, Virum alioqui doctiſſimum, atque in Sacræ Scripturæ ſtudio, Sanctorumque Patrum lectione accuratiſſimum (quem ſummopere obſeruo) Lugdunenſibus primùm, ac Romanis deindè Typis publicaſſe, Deæ titulum fuiſſe Deiparæ à Catholicis, præ æſtu affectus erga Dei Matrem, iuſtæ laudationis metas prætergreſſis attributum: cœnum veriùs eſſe, quàm decus: inſulſum blandiloquium, quod quomodocunque conditum, ipſa Virgo auerſatur: inter probra, non inter decora Virginis referendum: illum nos Hæreticis ridendos propinare: apud probatos Patres furfuraceum hunc Beatæ Virginis Titulum minimè reperiri. An (vt de Iſidoro noſtro, & de SS. Gregorio Nazianzeno, & Io. Damaſceno, qui vt ſupra ex Caniſio retuli, Deæ titulum Deiparæ tribuerunt, in præſentia taceam) non probatus Pater, Albertus Magnus? Non probatus Pater S. Bonauentura Seraphicus? Non probatus Pater S. Bernardinus Senenſis? Non probatus Pater S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus? Quid autem Albertus Magnus? Hic æternæ Sapientiæ Matris Secretarius fidelis, & Scriba ſingulariſſimus; in Mariali ſuper Miſſus eſt Angelus, cap. 195. Cùm B. Virginem Deam Dearum nuncupaſſet: atque ex S. Dionyſio in Libro de Diuin.

Diuin. Nomin. præmiſiſſet, in Sacris Eloquijs Deos vocari, non tantùm ſupercœleſtes Nuncios, ſed & apud nos amantiſsimos Dei, & mirabiles viros: Subdidit in hæc verba: *Cùm ergo B. Virgo ſit Dei amantiſſima, & mirabiliſſima; & ad diuinas illuminationes omnibus alijs creaturis improportionabiliter plus extenſa; ipſa potiſſimè vocabitur Dea Dearum.* Alb. Mag.

Quid S. Bonauentura? Hic cum erga Auguſtiſſimam Dei Matrem pientiſsimè eſſet animatus, multumque ingenio ad agnoſcenda eius legitima decora valeret, in Pſalterio Minori B. Virginis, Quinquagena prima, his dictis Deiparam ſalutauit: S. Bonau.

Aue Virgo virtus mea,
Natum Deum *poſce Dea,*
Vt in arce Sion clarè
Nos concedat habitare.

Quid S. Bernardinus Senenſis? Hic ab ipſo adoleſcentiæ flore, Beatiſsimæ Virginis puriſſimo amore captiuus, & præconiorum eius Encomiaſtes mirificus, in primo ſuorum Operum Tomo, Serm. 61. qui eſt, De ſuperadmirabili gratia, & gloria B. Virginis Matris Dei, cap. 3. probans B. Virginem magis propriè dici Reginam Miſericordiæ, quam Deam Dearum; in hunc modum ſcripſit: *Dicitur magis propriè Regina Miſericordiæ, quam* Domina *Dominarum, Regina Reginarum, vel* Dea *Dearum.* S. Bernard. Senen. *Hæc enim omnia important dignitatem, vel excellentiam reſpectu maiorum, & non mino-*

rum. Si enim diceretur Dea *Dearum; non videretur eſſe* Dea, *vel Regina peccatorũ, vel Dæmonũ.* Quid deniq; S. Antoninus Archiepiſc. Florentinus? Hic affectu non minùs, quã calamo erga Deiparam Virg. eximius; in Summa
S. Anton. Theol. p.3. tit. 13. c.3. quod eſt de B.V. Maria, per modum doctrinæ, hæc literarum monimẽtis conſignauit. *Prima Mariæ virtus fuit Humilitas: vndè & ipſa de hac ſingulariter gloriatur, dicens: Quia reſpexit humilitatẽ Ancillæ ſuæ. Exemplo Virginis tantæ, ratione quilibet vtens, diſcit ab ea, ſe hominem eſſe, non* Deũ: *vbi Dea facta, cui ſubderetur humilis* Deus, *dixit: Ecce Ancilla* Domini, *fiat mihi ſecundum verbum tuum: & hoc, quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Atq; in eadem Summa, 4.p. tit. 15. c.44. quod eſt de Aſſumpt. B. Mariæ: Seraphinos ſic Deiparæ clamantes inducit: *O Sancta Dei* Mater, *& hominũ! O Sancta Virgo Virginũ! O Sancta* Mediatrix *hominum, ò Domina Regina* Cœlorum! *ò Dea deiformitate actuum!* Cũ igitur Deę titulus B. Virgini ſit à SS. Patrib. attributus; quis illum inter furfuraceos B. Virg. titulos reijcere præſumet? Quis illum nos Hæreticis ridendos propinare affirmabit? Quis inter Virginis probra referre audebit? Quis inſulſum blandiloquium, quod quomodocunq; conditum, ipſa Deipara auerſatur, vocitare tẽtabit? Quis cœnum veriùs, quàm decus exiſtimabit? An cœnum in Virginem iniecit, inclytæ illæ ſapientiæ probitatis, & Religionis Vir

Ioan-

Ioannes Mauburnus Liuriacenſis Monaſterij in Gallia Abbas, qui mortalitatem exuit circa annum 1490. cum in Roſario de Gloria B. Virg. in Cœlo, Membro 5. dixit: *Maria reſpectu Dei, iam altera Dea facta eſt; nec miretur homo, quod Mariam dixerimus Deã: verè enim, & rectè dicitur Dea Dearum, innumerabilium, vt quidam ait, Deorum conſtituta. Nam ſi Moyſen Dominus Deum conſtituit Pharaonis: quid non Mariam Deam Eccleſiæ vniuerſalis? Et ſi omnis bonus eſt per gratiam, quod Deus eſt (vt aiunt) per naturam: quid mirandum, ſi dicamus Mariam Deam? Velut enim ferrum candens, tota immerſa eſt Deitati. Vndè & meritò participat eius Nomini. Vndè rectè dicitur in ſolemni illa Oratione: O feliciſſima rerum magna Dearum?* An vt inſulſum blandiloquium Deipara auerſata eſt, quod lectiſsimus eius Cliens & præco Ludouicus Bloſius, Abbas Lætienſis, in Canone vitæ ſpiritualis c. 18. veriſsimè exarauit. *Quid ſublimius, quid magis honorificum, quam dici, & eſſe Dei Matrem? quid hac dignitate celſius? Quid admirabilius? planè ſic eſt: Nihil ſub Deo cogitari poteſt diuinius Dei Matre. Væ miſeris, & infelicibus Hæreticis, qui tantæ Virgini iniquiores ſunt, qui eius gloriam, & ſplendorem offuſcare nituntur. Væ, inquam, his, quibus tantæ Imperatricis cultus iam viluit. Indignantur, frendent, quod eam appellemus Spem vitæ,*

Io. Maubu.

Ludouic. Bloſ.

Conciliatricem ſalutis. Quid (inquiunt) Mariam habetis pro Dea? Siccine ſpem veſtram in homine ponitis? Non quidem adoramus Mariam vt Deam, *ſed vt Dei Matrem*, Deo *proximam veneramur. Quamuis non immeritò* Dea *dici queat, cum Sancti in Scriptura vocentur Dij*. An inter probra Virginis referendum eſt, quod humanioris literaturæ delicium Iuſtus Lipſius; (qui à prima adoleſcentia D. Virginis amorem, & cultum induit, eamq; ſibi patronam adoptauit, & Ducem in periculis, in moleſtijs, in omni denique vitæ curſu elegit) in Diua Virgine Hallenſi, cap. 31. loquutus de Ioanne Lucemburgio, ad inuocatio-

Iuſt.Lipſ. nem B. Virginis à ſuſpendio liberato, cecinit?

Sic liber à gabalo Ioannes tunc abit,
Et venit Hallas, votaq; exſoluit Deæ.

Et in D. Virgine Aſpricolli cap. 5.

Quid ſigni tamen hoc fuiſſe dicam?
An ſudas, Dea, ſanguinem hoc in æuo;
Quo ſanguis malè funditur; dolorem
Et ſic exprimis?

Et ibidem cap. vlt.

Tu malis feſſos releua & fauente
Pacis, indulge, recreemur aura.
Tunc tibi laudes, Dea, dicet omnis
Sexus, & ætas.

An iuſtæ laudationis metas in Deæ titulo Deiparæ tribuendo, hi omnes, alijque, qui recenſeri poſſent, plures (nempè Ioannes Gerſon in Serm. de Natiu. B. Mariæ: Mauritius de Villa

Pro-

Digitized by Google

Probata in Corona B. Virginis, Serm. 26. Ioannes Oſorius, Conc. 3 de Conceptione, tomo 3. Leo X. Pontifex Maximus, apud Petrum Bembum lib. 8. Epiſtolarum, Ep. 17. Petrus Morales in cap. 1. Matthæi lib. 3. tract. 3. num. 25. & tr. 7. num. 29. Sebaſtianus Barradas t. 1. in Euang. l. 6. c. 5. Ambroſius Nouidius lib. 8. Faſtorum Sacrorum, apud Coluenerium in Kal. Mariano, die 22. Auguſti. Nicolaus Ricchardius in Litanias Lauretanas, Diſcur. 4. & Ioannes Chartagena Hom. 17. de Viſitatione B. Virginis) prætergreſsi ſunt, & Deiparæ titulum furfuraceũ, qui nos Hæreticis ridendos propinet, inconſideratè tribuerunt? Abſit. Quid enim non rident Hæretici? An quia ipſi rident; ridendi nos, dum non Collyridiano errore, vt ipſi putant, ſed Catholica veritate, vt ſupra explicauimus, Deæ nomine Deiparam appellamus? Opportuniſsimè in hac eadem Oratione noſter Iſidorus: *Dico autem prærogatiuas eius* (Virginis) *nec percipi animo, nec dici ferè verbis poſſe, cum ad ipſum Deum accedant, non tamen Deo parem efficiant: vt ſi nobiſcum conferatur ob nimiam virtutis eminentiam, Virgo Deus vocanda ſit: ſi verò conferatur cum Deo, ſit quod eſt, ſcilicet Homo*. Sic ille. Fateor tamen cum Ioanne Chartagena Hom. 17. citata, De Viſitatione: & Io. Baptiſta Nouato Tomo 1. De Eminentia Deiparæ, cap. 18. q. 24 quòd cum ſermo habetur cum Idiotis, inſipientibus, & ruſticis, melius eſt à Deæ appellatione abſti- S. Iſidorus.

nere, ne erroris anſam illi ſumant, & verum Deum Deiparam credant: Quò reſpiciens Io. Damaſcenus Or.2.de Aſſump.dixit. *Dei Ma-*
S.Io.Dam. *trem Virginem agnoſcimus; non Deam hanc eſſe prædicantes (abſit: Græcarum preſtigiarum ſunt huiuſmodi figmenta) ſed incarnati Dei Matrem agnoſcentes.*

9. *Expreſſa Imago nati ex ea Dei.*] Nã vt S.Anaſtaſius Sinayta in Hexameron lib.6 propè finem ſapientiſſimè commẽtatur: *Quis, mihi*
S. Anaſtaſ. Sinaita. *dic quæſo, aut ex hominibus, aut ex Dæmonibus audebit dicere, quod ea, quæ eſt eiuſdem ſimul cum* Deo *eſſentiæ (quoad carnem attinet) non ſit ad imaginem, & ſimilitudinem eius, qui eſt ex ipſa natus? Quomodo eſt enim Mater eiuſmodi Filij, non ferens in ſe illæſam fætus ſui imaginem?* ſic ille. Vnde pius Author Anonym. relatus à Bloſio inter dicta Patrũ, c.5. veriſſimè
Anonym. pronunciauit: *Maria in poteſtate, ſapientia, dilectione, & cunctis chariſmatibus, donis, perfectionibus, atq; excellentijs ſuper omnes creaturas benedicta, Filio ſuo Redemptori noſtro quã ſimilima, & proxima eſt.* Et Chriſtus Dominus loquutus quondã D. Birgittæ, vt ipſa refert in
D.Birgitta Reuelationib. Extrau.c.37.dixit: *Maria mater humanitatis meæ vocari poteſt & mater, & filia: Mater generatione carnis meæ; Filia imitatione volũtatis meæ: nã ſimilitudo corporis eius relucebat quodãmodo in carne mea: & ſimilitudo omniũ virtutum reſplenduit perfectius in corde, & operatione eius.* Porrò B. Virginis cum

Filio

Digitized by Google

Filio ſimilitudinem præclariſſimè proſequũtur Nicolaus Monachus S. Albani in Epiſt. de Concept. B. Virg. ad Petrũ Cellenſem: *Sicut in Cœlo qualis Pater, talis Filius, ſic & in terra qualis Filius, talis Mater: non dico de Spiritu Sãcto cõcepta, vt Filius; ſed de ſpiritu repleta, & ſãctificata in vtero Matris, vt Filius.* Arnulphus Lexouien. Epiſc. in Elegia de Natiu. Domini: Nicol. S. Alb.

Conformi ſoboles Patrem, Matremq; figura
Exprimit; & ſpeciem reddit vtrinq; ſuam.
Sic eius ſpecies ſpeciem eſt imitata paternam:
Vt ſit, eo viſo, viſus & ipſe Pater.
Virgineoque ſibi fabricans de corpore corpus:
Humanam ex homine contrahit effigiem.
Exhibet vna duas ſpecies Perſona: Deuſq;
Factus Homo, propriũ ſeruat vtrinq; genus.

Arnulph. Lexou.

Euſebius Emiſſenus, Hom. in Vigilia Natiuitatis Domini: *Non habet Filius in hominibus parem: non habet Mater in mulieribus similẽ. Specioſus ille præ filiis hominum: ſpecioſa illa, quaſi Aurora conſurgens. Fecit ille Matrem ſuam, quod nemo alius fecit: peperit illa Filiũ, & Virgo permanſit, quod nulla alia fecit. Fuit ille antequam Mater: non fuit illa antequam Filius.* Hugo Victorinus Tom. 3. Collat. 3. de Verbo incarnato: *Propterea Mater Virgo electa eſt, vt de munda immaculatus naſceretur, & ſicut in Cælo Deus habuit Patrẽ immortalẽ æternus: ſic in terra haberet Matrem Virginẽ incorruptus. Igitur in Cœlo qualis Pater, talis Filius: & in terra, qualis Mater, talis Filius:* Euſeb. Emiſſ. Hugo Victor.

Digitized by Google

lius: *In Cœlo cum Patre æternus, & immenſus: in terra cum Matre immaculatus, & mãſuetus: In Cœlo cum Patre incorruptus, & ſublimis: in terra cum Matre Virgo, & humilis. In Cœlo imago Patris, in terra imitator Matris. Talis ergo Agnus, qualis Mater Agni; ex munda mundus; ex Virgine incorruptus.* Ricchardus de Sancto Victore Expoſ. in Cant. c. 39.

Ric. de S. Vict.

Maria ſingulariter ſpecies Chriſti præ omnibus ſpecioſa, Chriſtoque *ſimillima: Non ſolum ſpeciem Chriſti ipſa habens, ſed etiam in alijs hanc reſtituens.* Albertus Magnus in Poſtillis ſuper cap. 1. Lucæ: *In Nato impoſſibilia coniunguntur: per naturam quidem incompoſſibilia, diuinæ autem virtuti poſſibilia. Natus enim* Deus *Homo: creatus & increatus: paſſibilis, & impaſſibilis; temporalis & æternus. Mater autem gaudium Matris habet cum Virginatis pudore, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem: & ideò ſola ſine exemplo. Et ſicut Filius, nullum habet in Cœlo, vel in terra ſimilem.* & Serm. 3. de Aſſumpt. B. Virg. *B Virgo Soror* Dei *appellatur propter vitæ conformitatem, & hæreditatis identitatẽ. Ipſa enim Filio ſuo conformis erat in vita: Sicut enim Filius Virgo fuit, ita & Mater ſemper Virgo permanſit. Propterea idem Regnum, & eandem hæreditatem, tanquam cohæres participat cum Filio, & propter has duas cauſas Soror appellatur.* S. Antoninus in Summa, 4. p. tit. cap. 15. §. 2. *Sicut Filius dicitur*

Alb. Mag.

S. Anton.

eſſe

eſſe apud Patrem propter identitatem naturæ, quia eiuſdem naturæ; ſic Maria gratiam inuenit, vt ſit apud Deum, ſcilicet Filium; quia ſcilicet eiuſdem naturæ cum eo ſecundum humanitatem, in qua eſt vnum cum Matre, ſicut in Deitate vnum cum Patre. Denique, vt alios breuitati conſulens omittam, B. Thomas à Villanoua Conc. 3. de Natiuitate Beatæ Virginis: *Filij imitantur parentes, vt plurimum, & parentes transfundunt in filios non ſolũ proprietates, & paſſiones, & ægritudines corporales, figuram, colorem, formã, motus, habitus: ſed & paſſiones animorum; mores, ingenia, vitia, & virtutes. Nam ex iracundis parentibus iracundos filios, ex manſuetis manſuetos, ex ingenioſis ingenioſos, ex ruſticis ruſticos, ex eloquentibus eloquentes, ex mutis mutos, vſquè adeò, vt ingenium, & virtus, & eloquentia, hæreditaria quodammodo videantur. Et ſi hoc in alijs, multo amplius in Chriſto: nam cum in alijs Patris, & Matris communes ſint filij, aliquid accipiunt à Patre, & aliquid à Matre; & fit ex duobus tertia quædam in filio mixtura, & ſimilitudo. Chriſtus verò, qui totus erat ex Matre, non habens Patrem in terris, totus fuit Matri ſimillimus, non ſolum forma, & vultu; hoc enim, qui viderunt vtriuſq; imagines ad viuum, aſſerunt, nunquam fuiſſe ſic filium Matris ſimillimum vultu, & moribus, verbis, & habitu. Illa humilis, ille humilis: illa manſueta, ille manſuetus; illa benigna, ille*

B. Thom. à Villanoua.

lius: In Cœlo cum Patre æternus, & immenſus: in terra cum Matre immaculatus, & mãſuetus: In Cœlo cum Patre incorruptus, & ſublimis: in terra cum Matre Virgo, & humilis. In Cœlo imago Patris; in terra imitator Matris. Talis ergo Agnus, qualis Mater Agni; ex munda mundus; ex Virgine incorruptus. Ric-

Ric. de S. Vict. chardus de Sancto Victore Expoſ. in Cant. c. 39. *Maria ſingulariter ſpecies Chriſti præ omnibus ſpecioſa,* Chriſtoque *ſimillima: Non ſolum ſpeciem Chriſti ipſa habens, ſed etiam in alijs hanc reſtituens.* Albertus Magnus in Poſtillis ſuper cap. 1. Lucæ: *In Nato impoſſibilia*

Alb. Mag. *coniunguntur: per naturam quidem incompoſſibilia, diuinæ autem virtuti poſſibilia. Natus enim* Deus *Homo: creatus & increatus: paſſibilis, & impaſſibilis; temporalis & æternus. Mater autem gaudium Matris habet cum Virginatis pudore, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem: & ideò ſola ſine exemplo. Et ſicut Filius, nullum habet in Cœlo, vel in terra ſimilem.* & Serm. 3. de Aſſumpt. B. Virg. *B. Virgo Soror* Dei *appellatur propter vitæ conformitatem, & hæreditatis identitatẽ. Ipſa enim Filio ſuo conformis erat in vita: Sicut enim Filius Virgo fuit, ita & Mater ſemper Virgo permanſit. Propterea idem Regnum, & eandem hæreditatem, tanquam cohæres participat cum Filio, & propter has duas cauſas Soror appellatur.* S. Antoninus in

S. Anton. Summa, 4. p. tit. cap. 15. §. 2. *Sicut Filius dicitur*

eſſe

eſſe apud Patrem propter identitatem naturæ, quia eiuſdem naturæ; ſic Maria gratiam inuenit, vt ſit apud Deum, *ſcilicet Filium; quia ſcilicet eiuſdem naturæ cum eo ſecundum humanitatem, in qua eſt vnum cum Matre, ſicut in Deitate vnum cum Patre.* Denique, vt alios breuitati conſulens omittam, B. Thomas à Villanoua Conc. 3. de Natiuitate Beatæ Virginis: *Filij imitantur parentes, vt plurimum, & parentes transfundunt in filios non ſolũ proprietates, & paſſiones, & ægritudines corporales, figuram, colorem, formã, motus, habitus: ſed & paſſiones animorum; mores, ingenia, vitia, & virtutes. Nam ex iracundis parentibus iracundos filios, ex manſuetis manſuetos, ex ingenioſis ingenioſos, ex ruſticis ruſticos, ex eloquentibus eloquentes, ex mutis mutos, vſquè adeò, vt ingenium, & virtus, & eloquentia, hæreditaria quodammodo videantur. Et ſi hoc in alijs, multo amplius in Chriſto: nam cum in alijs Patris, & Matris communes ſint filij, aliquid accipiunt à Patre, & aliquid à Matre; & fit ex duobus tertia quædam in filio mixtura, & ſimilitudo. Chriſtus verò, qui totus erat ex Matre, non habens Patrem in terris, totus fuit Matri ſimillimus, non ſolum forma, & vultu; hoc enim, qui viderunt vtriuſq; imagines ad viuum, aſſerunt, nunquam fuiſſe ſic filium Matris ſimillimum vultu, & moribus, verbis, & habitu. Illa humilis, ille humilis: illa manſueta, ille manſuetus; illa benigna, ille*

B. Thom. à Villanoua.

ille benignus; illa pauper, ille pauperrimus; illa puriſſima, ille puriſſimus; illa prudentiſſima, ille prudentiſſimus; illa pijſſima, ille pijſſimus; illa modeſta, & ſobria, ille modeſtus, & ſobrius: Denique in omnibus mater nihil fuit, niſi Filij adumbrata Imago; & Filius Matris *expreſſa figura. Nam, & ſi omnes Sancti, prout potuerunt, conati ſunt aſſimilari Chriſto, & eum reddere, & imitari (quia in hoc noſtra perfectio conſiſtit) nullus tamen potuit ex integro, ſed ex parte: Vnus in humilitate, alius in caſtitate, alius in manſuetudine: Sola* Mater *eum ex omni parte imitata eſt, eum reddens ſuis gratijs, & virtutibus; licèt in Filio perfectiores colores eſſent propter* Deitatem *coniunctam*. Hæc Villanoua, & alia in hanc rem, lectu digniſſima.

10. *Vt in ſe exprimeret effigiem Deiformem.*] Hanc certè effigiem Deiformem, multipliciter in ſe expreſsit Virgo Beatiſsima. Nam, vt S. Bernardinus Senenſis, Tom. 1. Serm. 61. art. 1. c. 11. inquit: *Deus formauit hominem de limo terræ; &* Maria *formauit eũ de puriſſimis ſanguinibus ſuis, & de puriſſima carne ſua, quæ præualet omnibus rebus mundi. Deus impreſſit in hominem decorem imaginis ſuæ; & glorioſa* Maria *impreſſit in eum imaginem ſuam. Nam ſicut ipſa erat pulchrior omnium fæminarũ; ſic Ieſus eſt pulchrior & ſpecioſior forma præ filijs hominum. Deus fecit homi-*

nem

Digitized by Google

nem ſine paſſionibus famis, ſitis, caloris, frigoris, & conſimilium: & ſedula Mater *Ieſu, & præ cunctis hominibus pia, omnibus paſſionibus eius occurrebat, ſcilicèt, fami, ſiti, nuditati, frigori, calori, ſicut ſtatus pauperrimus exigebat. Veſtiuit* Deus *hominem pellicea veſte; & Virgo benedicta veſtiuit eum in Præſepio ſuis paupereulis pannis, & proceſſu temporis, tunicam inconſutilem ei fecit, quæ præualuit omnibus veſtibus* Mundi. *Docuit Deus hominem ſapientiam: Et ſapientiſſima, & prudentiſſima Virgo* Maria *docuit Chriſtum puerilia nociua fugere, & ſequi eam. Nutriuit* Deus *hominem de fructibus Paradiſi: &* Beatiſſima *Virgo nutriuit Chriſtum de ſuo ſacratiſſimo lacte, vbere de[illegible]lo pleno; cuius minima ſtilla præualuit omnibus fructibus Paradiſi terreſtris, ac totius* Mundi. De hac quoque Deiformi Beatæ Virginis effigie, Paulus de Heredia ex Iudæo Chriſtianus, in ſuo Tractatu de Conceptione Beatæ Virginis, ita fatur: *Deus eſt Dominus Dominorum, & Rex Regum: inclyta autem Virgo eſt* Domina *Dominarum, & Reginarum Regina.* Deus *eſt Gubernator Orbis: intacta autẽ Virgo Vniuerſi Gubernatrix. Deus eſt Dominus* D*æmonum, qui ab eo fugiunt: Glorioſa verò Virgo eſt illorum* Domina, *& ab eius nomine fugiunt.* D*eus eſt* Dominus *Angelorum: & Beata Virgo eſt illorum Regina.* Deus *eſt Pater totius Orbis: & inclyta*

Paul. de Hered.

Virgo

Virgo Mater Vniuerſi. Deus eſt Pater Chriſti, & glorioſa Virgo eſt Mater. Deus eſt Pater Virginis immaculatæ, & inclyta Virgo eſt Mater Dei. *Deus eſt cauſa cauſarum, & glorioſa Virgo, tametſi cauſata eſt, & à Deo creata; tamen poſt Deum eſt cauſa omnium rerũ.* Sic ille. Optimè etiam in hanc rem S. Anſelmus in libro de Excellentia Virginis, cap. 11.

S. Anſelm.

Sicut Deus ſua potentia parando cuncta, Pater eſt, & Deus omnium: ita B. Dei Genitrix Maria, cuncta reparando, Mater eſt, & Domina rerum. Deus enim eſt Dominus omniũ, ſingula in ſua natura, propria iuſſione conſtituendo: & Maria eſt Domina rerum, ſingula congenitæ dignitati, per illam, quam meruit gratiam reſtituendo. Et quemadmodum Deus ex ſua ſubſtantia genuit eum, per quem cunctis originem dedit: ita Beata Virgo de ſua carne mundiſſima peperit illum, qui decorem primæ creationis omnium, cunctis reſtituit. Nec minus optimè Dionyſius Carthuſianus, lib. 1. de Laudib. Virginis, art. 3. *Quemadmodũ ſupermiſericordiſſimus Deus, nullum bonum, quamuis extra charitatem factum, deſerit irremuneratum: ſic Deiformis Domina, pijſſima Virgo Maria, nullum obſequium ſibi impenſum reliquit impræmiatum.*

Dionyſius Carth.

11. *Ità ſanè Virgo eſt miraculorum miraculum.*] *Miraculum quoque miraculorum; imò miraculorum Abyſſum* appellat Virginem Deiparam S. Io. Damaſcenus Or. 1. de Natiuit.

S. Io. Damaſcenus.

Beatæ

Beatæ Virginis. *Miraculum nec ipſis Seraphim ſatis celebrandum, nec Cherubim planè perſpicuum, nec ſuperioribus omnibus, inferioribuſq; Ordinibus omninò compræhenſum* appellat S. Io. Geometra in Serm. de Annunciat. *Miraculum præſtantiſſimum vniuerſi Orbis terrarum* appellat S. Ephrem Syrus, Serm. de Laud. Virg. *Miraculum ſtupendum in Cœlis*. appellat S. Epiphanius, Serm. de Laud. Virgin. *Miraculum magnum Mundi*, ac *Miraculum inenarrabile*, appellat S. Io. Chriſoſtom. Hom. in Hypapantem Domini, & Serm. de Annunc. *Miraculum præcipuum in Sacrario Diuino repoſitum*, appellat S. Antoninus, p. 4. t. 15. c. 24 *Miraculum Angelorum*, appellat Albertus Magnus in Poſtillis ſuper cap. 11. Lucæ. *Miraculũ, quo grandius in Mundo nullum*, appellat Io. Mauburnus in Roſeto Exercit. ſpirit. tit. 21. c. 6. Denique, *Miraculum totam*, quia ſola ſine exemplo Mater, & Virgo, appellat Guerricus Abbas Igniacenſis, Serm. 3. de Annunc.

S. Ioſeph

Io. Geom.

S. Ephrem

S. Epiph.

S. Io. Chri.

S. Anton.

Al. Mag.

Io. Maub.

Guar. Ab.

12. *Quam, vt Anchoram animæ tutam habemus, ac firmam.*] Cohæret Iſidoro noſtro Theoleptus Philadelphiæ Metropolita, Ode 1. Tomo 12. Bibliothecæ Magnæ Patrum, par. 1. dum clamat: *Ad opem tuam, ceu ad Petram, tutamque Anchoram, immaculata Virgo, confugio: ne me repelle: ſed toties in peccata lapsũ erige*. Suffraganturque S. Ioannes Damaſcen. in Canone de SS. Trinitate, Tom. 4 Bibliothecæ PP. Edit. 1. vbi eãdem Deiparã vocat, *Anchorã ſalu-*

Theolept.

S. Io. Dam

ſalutis noſtræ: Leo Imperator, cognomento
Leo Imp. Sapiens, Ora.de Aſſumpt.B. Virg. vbi appellat, *Anchoram, quæ totum* Mundum *continet, & ſeruat*: S. Bonauentura in Pſalterio B. Virg. &
S.Bonau. Serm.2 de B.Virgine Maria, vbi nuncupat, *Anchoram ſpei*, necnon *Anchoram, qua Nauis noſtra in* Mari *firmatur*. Et Trithemius Ab-
Trithem. bas, lib.1.de Miraculis B. Virginis in Dittelbac, cap.12. vbi, *Rerum Anchoram* cognominat. In Euchologio etiam, ſeù Rituali Græcorum, de Eleuatione Panis, Panagia nuncupati,
Ritual. Græc. pag. 865. ſic Deiparæ canitur: *Annue famulorum tuorum precibus: calamitatum inſultus reprime: & ab omni afflictione nos libera: Te namque ſolam ſecuram, firmamque Anchoram habemus*.

NO-

NOTÆ IN ORATIONEM III.
De Annunciatione Sanctiſſimę Dei Genitricis.

1. S*VNT igitur omnia hodiè reuera plena gaudij*.] De gaudio creaturarum omnium in Annunciatione B. Virginis, de quo hic plenè Iſidorus noſter, præclarè etiam inter alios S. Io Geometra, in Serm. de Annũc. SS. Dei Genitricis (quem vnà cum alijs tanti Patris Marianis Operibus, edẽdũ habeo apud me Manuſcriptum) ſubiectis verbis: *Gaudete. Hoc mihi & breue & magnum erit ſermonis exordium: Gaudete. Hoc mihi, & principium, & medium, & finis. Gaudete. Id nunc, & vniuerſa natura, & creatura, ratioque ipſa iubet. Quin potiùs in primis ratio ipſa, non modo mea, verum etiam hominũ omnium quotquot ſunt, eruntque; cum Pater, mentiſque Verbum pariter & Filius, Deique etiam veriſſimus ſimul & potẽtiſſimus Deus, id non modo ordinauerit, verum etiam opere compleuerit: Gaudeas Cœlum & terra, genuſq;* Io. Geom

O *omne*

Digitized by Google

omne, omniſque ætas, ac ſexus vterque ; viri, ac mulieres, viuentes, & defuncti , omnis producta creatura viſibilis, & inuiſibilis . Gaudete item, cum vos magno huic, flammigeroque præconi præſtetis aures: quia ſicut vnius olim mulieris maledictio, ita nunc etiam vnius mulieris gaudium, cæteris quoque deriuatur omnibus. Imò verò non ſolùm verbis gaudiũ excipitis, ſed reipſa etiam iam gratiæ fructum delibatis. Quàm magni itaque momenti eſt, quod nunc dicitur, ſimulquè geritur ! Magnũ ſanè, & tremendum , quod nec verbis effari, nec auribus percipi , nec mente comprahendi poteſt. Hodie Homo fit Deus , & Deus Homo ; & inimicus communicat naturæ, & quæ maximè diſſidebant , nunc amiciſſimè coeunt ; quæque alterius conſortium prorſus abhorrebant , nunc ei arctiſſimè copulantur : Verbum & caro ; materia & flamma ; tempus & moles corporea cum æterno, & immenſo. Qui maledixerat, benedicit ; qui ex Aedem hominem eiecerat , nunc incolit terram ; & Adam quidem Aedem; Creator verò vtriuſq; terram ad ſpinas damnatam viciſſim ſumit. Quinimò pro terra ille Cœlum ſuſcipit ; hic verò Cœlum dimittens, Infera adit. Hactenus Geometra.

Præclarè quoque Eccleſia Græca in ſuo Euchologio , ſeu Rituali de Eleuatione Panis , Panagia nuncupati, dum canit: *In te lætatur omnis creatura, ò gratia plena, Angelorum cætus, & hominum genus , ò Sanctum Templũ,* Eccl. Græ.

&

& Rationalis Paradiſe, Virginum decus, è qua Deus ante ſæcula exiſtens, Deus noſter incarnatus, puer factus eſt. Tuum namq; vterum ſibi effecit Thronum: Ventremque tuum Cœlis capaciorem reddidit. In te lætatur omnis creatura: Gratia plena, gloria tibi:

2. *Mirabilis Maximus.*] Mirabilis iſte Maximus, cuius teſtimonio hic vtitur S. Iſidorus, eſt Maximus ille Abbas, & Martyr clariſſimus, natione Græcus, Patria Conſtantinopolitanus, antiqua nobilitate inclytus, literis Philoſophicis, ac Theologicis egregiè excultus; Mariani honoris tuendi, amplificandique affatim cupidus; qui aliquando calumniam paſſus, quòd malè de Deipara ſentiret, vt eſt in collatione eius cum Theodoſio Cæſarienſi: extenſis in Cœlum manibus cum lacrymis dixit: *Qui non dicit Dominam noſtrã omnibus hymnis celebrandam, & ſanctiſſimam, & immaculatam, & omni intellectuali naturæ venerabilem, naturalem verè Matrem Dei factam, qui fecit Cœlum, & Terram, & Mare, & omnia, quæ in eis ſunt: eſto Anathema à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, conſubſtantiali Trinitate, & ab omni virtute Cœleſti, & Choro SS. Martyrum, omnique Spiritu in iuſtitia conſummato; & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen.* Sic ille. Plura de eo Baronius in Ann. Eccl. t. 8. & Poſſeuinus in Apparatu ſacro. Vide etiam Bibliothecam noſtram Marianam Tomo 2. S. Maxim. Mart.

3. *Proximus verò nobis incorporeorum eſſe fertur Ordo Beati Gabriel.*] Ex quo Ordine fuerit B.Gabriel, qui Nũcius à Deo ad Mariam Virginem miſſus eſt, cum Sacra Scriptura non exprimat, & Sancti Patres in varias abeãt ſententias, dubium adhuc remanet & incertũ. Et quidem fuiſſe ex vltimæ Hierarchiæ infimo ordine, ex ordine ſcilicet Angelorum, qui mittuntur ad homines, huius tamen Ordinis Principem, ac ducem, putat hic, & probare nititur S. Iſidorus: cui conſonat S. Ioannes Damaſcenus Orat.2.de Aſſumpt. dum S. Gabrielem *Angelorum* vocat *Anteſignanum*: Et Eccleſia Græca in Menæis die 24 Martij Ode 8. in Profeſto Annunciationis, dum canit: *Inter Angelos autem primarius* Dei *Miniſter vocem ad te, ò Virgo, lætabundã emittit, vt ex te corporandum ſignificet magni conſily Angelum*. Verùm communis ſententia Doctorum, quam tenet S.Thomas 3. p.q. 30.art.2. ad 4.affirmat S.Gabrielem fuiſſe ſummum, & ſupremum in Ordine Archangelorum. Hinc S.Irenæus lib.5. contra Hæreſes cap.25. Archangelum eum vocat, ſicut etiam Andræas Hieroſolymitanus Hom.de Annunciatione. S. Bernardus lib.4. de Conſiderat.cap.4 S.Gregorius Homil. 34. in Euangelia, & Anonymus in Menæis Græcorũ die 24 Martij in Veſperis minoribus de Annũciatione, dum ait: *Ad quam* (nempe Virginẽ) *Archangelus ille magnus accedens, Aue inquit, ò ſingulariter apud Deum gratioſa: modò Deus noſter*

S.Io.Dam.

Eccl. Græ.

Anonym

noſter tecum eſt, neque me reuerearis tanti Regis copiarum Ducem ſupremum. Aliqui tamen cenſuerunt S. Gabrielem ex Ordine Seraphim fuiſſe, vt ſupremus omnium fuerit, cui ſuprema Legatio committebatur: pro qua opinione vide inter alios Marcum Vigerium Cardinalem in Decacordo parte 1. cap. 3 Nouatum tomo 1. de Eminentia Deiparæ cap. 7 quæſt. 6. Cornelium à Lapide in cap 9. Danielis, verſu 21. atque P. Honoratum Nicquetum Gallum Soc. Ieſ. Theologũ in pererudito Tractatu quantociùs edendo de Angelo Gabriele.

4. *Gaudio fruere ſupèr omnem hilaritatẽ, ò Benedicta.*] Gaudium B. Virginis tempore Annunciationis attingit etiam perpulchrè S. Io. Damaſcenus in Menæis Græcorum, die 25. Martij, dum in perſona Angeli eandem B. Virginem his verbis affatur. *Tibi, ò Numinis Mater, datũ eſt Diuinitatis intimæ gaudiũ. Tibi item cũ acclamatione tuam gratulatur lætitiã, quicquid vſquam rerum creatarũ exiſtit. Lætare, ò altitudo Maria, ad ſupremum cuius faſtigiũ cogitationes hominũ aſcendere nequeunt. Lætare profunditas, cuius ſubtilem receſſũ nec quidem acies Angelica penetrat. Lætare, per quã innouantur creaturæ. Lætare per quam ipſe Creator fit infans Lætare ò Templum illuſtriſſimè ſanctificatum. Lætare ò Thalãme immortalitatis*, ſic ille. Concinit S. Ioannes Geometra, Serm. in Annunciat; *Aue cum gaudio concipiens, & in vtero geſtans, gignenſq; gaudiũ, quod*

S. Io. Dam.

Io. Geom.

Digitized by Google

ſermonem omnem, omnemque excedit mentẽ: & vt cuncta verbo complectar, Gaudium terreſtrium omnium, omniumque cœleſtium.

5. *Dominus tecum inſolito quodã modo.*] Nam, vt Serm. 3. ſuper Miſſus eſt, Diuus ait Bernardus: *Cum Deus ſit cum omnibus Sanctis, ſpecialiter tamen cum Maria; cum qua vtique tanta ei conſenſio fuit, vt illius non ſolum voluntatem, ſed etiam carnem ſibi coniungeret. ac ſic de ſua, Virginiſque ſubſtantia vnum Chriſtum efficeret, vel potius vnus Chriſtus fieret: qui etſi nec totus de* Deo, *nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet: nec duo filij, ſed vnus vtriuſq; filius.* Sic ille. Sed de modo inſolito, & ſingulari, quo Deus fuit cum Virgine, præclare inter alios D. Thomas Opuſc. 8. & D. Petrus Damianus, Serm. 1. de Natiuitate: quorum verba adducit Nouatus de Eminentia Deiparæ, t.1.c.7.q.11.

S.Bernard.

6. *Tibi etiam lac mirum in modum ſcaturiet; quoniam quicquid tuum eſt, miraculi plenum eſt.*] Putat hoc loco Iſidorus Lac Beatæ Virginis fuiſſe miraculoſum: cui fauere videtur Eccleſia in Officio Circumciſionis: *Ipsũ Regem Angelorum ſola Virgo lactabat vbere de Cœlo pleno*. S. Athanaſius Serm. in Deſcriptionem SS.Deiparæ: *Vbera B Virginis naturæ conſuetæ radicem non habuerunt, longèque à naturali conſuetudine, à legeque fuere aliena. Lac nouo, & peregrino fluxit modo.* D.Io.

Eccleſia

S.Athan.

Da-

Damaſcenus in Carminibus de Annunciatione: *Quonam modo lac profundas, ò caſta Virgo, mortalis lingua loqui non poteſt: Noua enim naturæ res oſtenditur:* alijque non pauci. Nonnulli tamèn ſuppoſito conceptu, & partu miraculoſo B. Virginis, dicunt, naturale fuiſſe lac affluere. Naturaliter quippè fœmina, ex quo concepit, & peperit, lac habet. Lac autem B. Virginis à Patribus appellari miraculoſum radicaliter, ſpectata ſcilicèt origine prima affluentis lactis, quæ in Conceptione, & Partu miraculoſis ſita eſt. Vide Vincentium Regium in Dilucidationibus Euangelicis, lib. 1. Theor. 3. Nouatum Tomo 1. de Eminentia Deiparæ, c. 11. q. 2. Raynaudum in Dypthicis Marianis parte. 1. puncto 8 num. 2. & P. Franciſcum Leonardium noſtræ Congregationis in Hiſtoria manuſcripta adhuc, ſed edenda, Eccleſiæ S. Mariæ in Campitello de Vrbe; vbi occaſione Lactis B. Virginis, in eadem Eccleſia, vnà cũ alijs Sanctorũ Reliquijs aſſeruati; An Lac B. Virginis miraculoſum, an verò naturale fuerit, ingenioſè, latèque proſequitur.

S. Io. Damaſcen.

7. *Vt illam Deus immaculatam, & ſupra puritatem puram ſeruauerit.*] Et quomodò Deus immaculatam, & ſupra puritatem puram B. Virginem ſeruauiſſet; ſi peccati originalis macula, atque impuritate eam inſici permiſiſſet? Opportuniſſimè, atquè etiam veriſſimè Angelicus Doctor S. Thomas 1. Sent. diſt. 44. q. vnica, art. 3. iuxta antiquas omnes editiones, &

nominatim Lugdunenſem Anni 1520.recognitam à P.Lamberto Campenſi; & Romanam, iuſſu Pij V confectam, & ad probatiſsimos Codices collatam: *Poteſt*, inquit, *aliquid creatũ inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas B. Mariæ Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit*. Sic ille; qui vnus eſſe poteſt pro omnibus in hac re. Vide Miechouienſē in Litanias Lauretanas, ſuper illud Virginis Elogium, Mater puriſſima, Diſc.135.n.6. vbi præfata affert verba Diui Thomæ.

8. *Inculpatiſſima Virgo.*] Celebratur etiã Deipara, vt inculpatiſſima, à Io. Damaſceno in Menæis Græcor.die 17.Ian. *O ſemper & vbique inculpatiſſima Numinis Mater*. A Sancto Theophane in eiſdem Menæis die 17.Ianuarij. *Vt inculpatiſſima Conditoris Sponſa, me celeriter ex Dæmonum machinationibus erue*. Et die 24.Februarij Ode 4. *O ſuper omnes inculpatos inculpatiſſima Domina*. Atque ab Anonymo, ſeù Eccleſia Græca in Menæis præcitatis, die 19. Martij in Veſperis: *Solo bonitatis tuæ impulſu, ò inculpatiſſima, extremam hanc articuli mei neceſſitatem præcurre*. Et quidem vt inculpatiſſima celebrari non poſſet, ſi culpa originali, etiam per inſtans, detenta fuiſſet. In illo etenim inſtanti, cum non fuiſſet ſine culpa, vt inculpatiſſima celebrari non poſſet. Certè ſi B.Virgo ex adducto S.Io.Damaſcen.teſtimonio

Damaſc.

S.Theoph.

Eccl.Græ.

ſem-

sẽper & vbiq;inculpatiſſima fuit; neceſſariò ſequitur ipſam debere eſſe ſine culpa originali in primo inſtanti Conceptionis: alioquin non *sẽper inculpatiſſima*:& ſine culpa in vtero parentis Annæ; alioquin non *vbique inculpatiſſima.*

9 *Nunc venit Gabrieli in memoriam Virginis Nomen.*] Cur Gabriel Virginis nomen, quod initio tacuerat, in progreſſu enuntiauerit, ex grauiſſimo Doctore Simone de Caſſia lib.2.de B Virg. cap.4. Petro Chryſologo Serm. 147. atque Alberto Magno, & Dionyſio Chartuſ in cap.2. Lucæ, plenè ac præclarè ediſſerit P. Hadrianus Lyræus in ſuo Triſagio Mariano, lib.1. ſono 36. quem legiſſe non pœnitebit.

10. *Terra hæc verum edidit panem.*] Vt terram etiam cœleſtis ac viuifici Panis productricem Deiparam laudant S. Gregorius Nyſſenus in Libro de Vita Moyſis, dum inquit: *Huius corporis panem non aratio, non ſatio, non agricolarum opus effecit; ſed terra intacta permanſit, & tamen pane plena fuit, quo fameſcentes Myſterium Virginis perdocti, ſaturantur.* S.Proclus Conſtantinopolitanus, in Or.4.quæ eſt in diem Natalis Domini, dum exclamat: *O non ſatam Terrã, quæ cœleſtem protulit fructum.* & iterum: *Hodie non ſatum granum ex inculta cãpeſtri terra germinauit, & mũdus fame cõfectus lætatur & gaudet.* S.Anaſtaſ.Synaita lib.12.Hexameron ſubiectis verbis: *Dicunt Hiſtorici, quòd primus Abrahã frumenti ſemen per aratrum ſeminauit in*

Nyſſenus

S.Proclus

Anaſ. Syn.

in terra: nobis, vt opinor, Patriarcha ſignificans per exemplum, quod ex eius ſemine videbitur cœleſtis panis Chriſtus in terra ad vsũ, & ſalutem hominum, quando terra Abrahamitica Mariæ Deiparæ, pluuiam excipiet cœleſtem. Matthæus Imperator Cantacuzenus in cap. 4. Canticorum, in hunc modum ſcribẽs: *Ipſa, ideſt Maria, eſt terra bona, quæ vitæ ſpicam protulit, de qua Deus per figuram Moyſi in lege dixit: Introducam vos in Terrã bonam*. Guerricus Abbas Serm. 2. in Annunc. hac vtens Oratione: *Prorsùs benedicta illa Terra, quæ omninò intacta, nec foſſa, nec ſeminata, de ſolo rore Cæli Saluatorem germinat, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ miniſtrat*. Philippus de Greue, Cancellarius Pariſienſis, ſerm. 218. in Pſal. 103. dum ad illud, Vt educas panem de Terra, ait: *Panis iſte, ideſt Chriſtus* Dominus, *de Terra eductus, quia de vtero Virginis. Pſal. Terra dedit fructum ſuum. Vnde & ſignatur per Bethlehem, quæ interpretatur Domus Panis*. Denique, ne longior ſim: B. Petrus Damianus Serm. 1. de S. Bartholomæo Apoſtolo, vbi ſic loquitur: *In Galgala primùm populus de frugibus terræ comedit azymos panes; & manna, quo eatenus ali conſueuerant, vlterius non apparuit. Ioſ. 5. quia poſtquam panis ille viuus, qui de Cœlo deſcendit, ex Agro Virginalis Vteri prodijt, poſtquam granum tritici cadens in terram mortuum eſt, ac plurimos fru-*

Cantacuz.

Guerr. Ab.

Philipp. de Greue.

S. Pet. Dã.

Digitized by Google

fructus attulit; mox typicæ legis Manna defecit. Terra quippè repromiſſionis, Venter eſt Virginis: de qua terra per Iſaiam dicitur: Rorate Cœli deſuper, & Nubes pluant Iuſtum; aperiatur Terra, & germinet Saluatorem. Cum ergò ad hunc panem peruenitur, Legis veteris vlteriùs Manna non quæritur. Sic Damianus.

11. *Maior enim erat culpa, quàm vt purus Homo poſſet libertatem afferre.* Licèt B. Virgo fuerit in ſe purus homo, & pura creatura, quia in ſe nullam habuit Vnionem Hypoſtaticam cum aliqua Perſonalitate Diuina; attamen licentia quadam pia, & abſtrahendo à rigore Theologicæ loquutionis, poteſt dici non purus homo in Filio, ob hypoſtaticam vnionem cum Perſona Verbi, Homine Deo, quatenùs idem Verbum ſua carne induit, & per ipſum ſua carne indutum Homini perdito ſalutem, & libertatem attulit. *Vna eſt enim Mariæ, & Chriſti Caro*, inquit in ſuo Tractatu de Laud. Virg. Arnoldus Carnotenſis: & B. Petrus Damianus in Serm. de Natiuit. *Chriſtus quodammodo eſt in Virgine per identitatem, cum ſit idem quod ipſa.* Quomodò autèm aliqua, quæ Deo & Chriſto ſunt propria, tribui poſſint B. Virgini, & quomodo à SS. Patribus eidem B. Virgini tribuantur, explicat inter alios Hadrianus Lyreus in Triſagio Mariano in Proœmio, Interuallo 4. & 5.

12. *Cœnam porrò hanc iucundiſſimam, & vitæ largitricem, ſupercæleſtis verè Homo, nimi-*

nimirum Virgo, agricolatione ſua præſtitit, atque futuram nobis reuera cænam parauit.] Plures etiam alij Patres Virgini tribuunt, atq; acceptam referunt Cænam Sacramētalem, panemq; Euchariſticum; è quibus aliquos in Neotericorum Scriptorum Operibus non ita obuios, hoc loco commorare operæpretium exiſtimaui. Et primò quidem ſeſe mihi exhibet

Eccl. Græ. Eccleſia Græca in Menæis die 30 Maij, vbi ait: *Te, ò Virgo, tanquam Sanctuarium, & Menſam ſpiritualem viuifico animarum omnium pane Chriſto inſtructam, laudibus celebrare ſtudemus*. Et in Euchologio, ſeu Rituali, de Eleuatione Panis, Panagia nuncupati pag. 866. vbi ita loquitur: *Sancta Menſa cæleſtem panē proferens, venter tuus factus eſt. Qui manducat ex eo non moritur, vt dixit omnium Nuncius, Dei Genitrix. Donis tuis dignos nos redde, Deipara Virgo, non attentis peccatis noſtris, remedijs etiam exhibitis, benedictionem tuam cum fide, ò illibata, ſumentibus*. Secundò ſeſe offert Eccleſia Aethiopica, quæ in ſua Miſſa peruetuſta, tomo 4. Bibliothecæ PP. editionis primæ attexta, populorum omnium vo-

Eccleſia Aethiop. ce clamabat: *Gloria ſit Domino, qui dedit nobis corpus ſuum ſanctum, & pretioſum ſanguinem ſuum. Gloria ſit Diuæ Mariæ, quæ eſt gloria noſtra, & quæ parturijt nobis ſacrificiū.* Tertiò ſeſe exhibet Eccleſia Ambroſiana, quæ, vt refert Georgius Coluen. in Cal. Mar. tomo 2. fol. 464. in Præfatione Miſſæ iuxta ſuum Miſſa-

le

le antiquum, in hunc modum canit: *Aequum, & ſalutare, nos tibi, Deus omnipotens, gratias agere; & cum tuæ inuocatione virtutis B. Mariæ Virginis feſta celebrare, de cuius ventre fructus effloruit, qui panis Angelici munere nos repleuit. Quod Eua vocauit in crimine, Maria reſtituit in ſalute. Diſtat opus ſerpentis, & Virginis: inde fuſa ſunt venena diſcriminis; hinc egreſſa ſunt myſteria Saluatoris.* Quartò ſeſe ſiſtit Eccleſia Bononienſis, quę referente Coluenerio, loco ſupra citato, die 28. Martij, in ſuo Miſſali M.S. hanc habet Orationem. *Per hæc Paſchalia Sacramenta, nos tibi clementiſſime Deus, Beata ſemper Virginis Mariæ Oratio conciliet, quæ nobis Panem Angelorum, & cæleſtem alimoniam generauit, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.* Accedit Leo Imperator, cognomento Sapiens, in Or. de Aſſumpt. fatus: *Aue Menſa, quæ panem illũ nouo, & naturæ inaudito modo confectum geſtas, quo ſubſtentati, qui ob cultum & ſatum ſpinarum fame peribamus, ex tanto diſcrimine euaſimus.* & iterum: *Tu tanquam perpetuo lumine colluſtratũ Candelabrũ tenebras pellis, liberaſq; & liberaſti à morte peccati, & totũ Mundũ floribus, quos producis, bene olentem efficis; & quæ ſalutis florẽ tuliſti, alis eundẽ vitali illo ex te confecto pane.* Accedit Matthæus Imperator Cantacuzenus in c. 7. Canticorũ, dum illa verba, Venter tuus ſicut aceruus tritici: vel iuxta Septuaginta,

Eccl. Ambroſ.

Eccl. Bon.

Leo Imp.

Venter tuus culmus tritici; hac commentatione illuſtrat: *Reuera ipſa* (Maria) *cæleſtem nobis Panem peperit, de quo quicunque comederit, non morietur. Quo autem modo non erit tritici cumulus, quæ ſingulis diebus fideles replet abundè ſupernaturali illo pane, qui abſolutè ab ipſa emanauit?* Accedit Anonymus Author perantiquus in Corona B. Virginis, quæ M. S. extat in Bibliotheca Vaticana Corona 9. Stella 5. dum comparans Mariam cum Naui, inquit: *Commendatur Nauis iſta à fine, vt ſcilicet per hanc Nauem Angelorũ Panis deferretur ad homines, vt ipſum guſtando fierent Angeli: quia per Mariam, panem Angelorum manducauit homo; & per ipſam Cæli cibaria miſit hominibus in abundantia Deus Pater.* Accedit Clareuallenſis Abbas S. Bernard. dum in Oratione Rythmica ad Dominum Ieſum Chriſtum, eiuſque Matrem intemeratam Virginem ſic canit:

Matt. Can. tac.

Anonym.

S. Bernard.

O Regina Regni Dauidici,
Tu es Virga floris Dominici,
Tu es Arca panis Angelici,
De quo noſtra meretur refici
Solitudo.

Accedit Cantuarienſis Antiſtes S. Anſelmus, dum in Pſalterio B. Virg. parte 2. ita Virginem alloquitur;

S. Anſelm.

Aue Mater, de qua nobis
Angelorum natus Panis,
Nos reuocat, & reficit,

Et

Et in ſeipſo perficit.

Accedit S. Theodorus, cognomento Nouus Confeſſor, dum in Orat. de Natiuit. B. Virginis ipſam B. Virginem ita ſalutat: *Aue Vrna confectum ex auro Vas, quam nulla delicti labes infecit, ex qua vniuerſus Orbis accepit Manna, vitæ panem igne Deitatis aſſatum.* Accedit S. Io. Damaſcenus in Orat 1. de Dormit. Deiparæ, ſic perorans: *Te, ò Virgo, Menſa præfigurauit; ex te enim ille Panis vitæ, ac cœleſtis.* Accedit S. Eleutherius Epiſcopus Tornacenſis, Serm. in Annunc. cuius iſta ſunt verba: *O Virgo, da non tantùm cibum corporalem, ſed Angelorum panem intra vteri tui clauſtra deſcendentem.* Accedit S. Methodius Tyri Epiſcopus Hom. in Purif. vbi ſcriptum reliquit: *Tu verè, ò Deipara, omnis ſacrificij pinguedo; tu animatum panis iſtius vitæ Altare.* Accedit S. Amedæus Epiſcopus Lauſannenſis, Hom. 1. de Laud. Virg. in qua hæc literarum monumentis conſignauit: *Maria Arbor ſalutifera generans cibum vitæ & Manna cœleſte; Manna habens omne delectamentum, & omnem ſuauitatem; ad quod ſi primus Adam attingeret, mortem non guſtaret in æternum. Hunc panem ſe eſſe perhibet filius hominis in Euangelio dicens: Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Accedit S. Bonauentura in Laude Beatæ Virginis, ſic Deiparam laudans:

S.Theodo.
Damaſc.
S. Eleuth.
S.Method.
S.Amed.

Tu

S.Bonau. *Tu miniſtras hominibus*
Verum panem Angelorum
Tuis natum viſceribus
Pro ſalute peccatorum,
Hic eſt panis Viatorum,
Qui eſt ſalus miſerorum
Præſtans omnibus panibus.

Accedit S. Andreas Cretenſis, Orat. de Dormitione Deiparæ, vbi Deiparam hoc Elogio commendat. *Oſtendit autem B.Virgo ſuam quoque ſanctiſſimam menſam, vtpote quæ ipſum totum viuificum panem,* Dominum noſtrũ *Ieſum, qui eſt vita æterna, qui creatam continet naturam, ex fermento Adamicæ conſperſionis panem factum in vtero geſtauit œconomicè, qui eos, qui ſanctè ad eum accedunt, reducit ad vitam recentiorem, & reddit in* Deo *perfectos.* Accedit Guerricus Abbas Igniacenſis. Serm.4. de Aſſumpt. hac ad Deiparam ſupplicatione directa: *Per te, ò Mater Miſericordiæ, fructum vitæ communicauimus in Menſa præſentium Sacramentorum: Per te eundem fructum vitæ communicemus in Mẽſa perennium gaudiorum, Ieſum benedictum fructum ventris tui.* Accedit Honorius Auguſtudunenſis in Sigillo B.Mariæ cap. 3. dum illa verba, Ferculum fecit ſibi Rex Salomon; ita commentatur: *Chriſtus verus Rex pacificus fecit ſibi ferculum, ideſt lectum ad conuiuiũ; de Lignis Libani; ideſt. de Patriarchis, & Regibus Virginem elegit, in qua vt in lecto recubuit*

(Margin: And.Cret. — Guerrinus — Hon.Aug.)

buit ipſe potiùs ad conuiuium, quia fideles de carne, quam de Beata Virgine ſump ſit, epulantur. Accedit Franco Abbas Affligemẽſis, lib.7. de Gratia Dei, dum pertractans illa verba Eliſabeth ad Virginem; Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui; in hæc verba ſcribit: *Benedictus fructus ventris tui, quo conficitur panis Cœli: Benedictus fructus ventris tui, cuius ſuauitate pellitur amariſſima fames ſæculi. Benedictus fructus ventris tui, ſine quo nec in Cœlo viuunt Angeli*. Accedit S. Antonius de Padua, Serm. in Dominic.3. Quadrag. dum in Virginis Laudem, illud Cantic. Venter tuus ſicut aceruus tritici, hac explicatione donat: *Venter glorioſæ Virginis fuit ſicut aceruus tritici; quia in eo, quaſi in Cellario, induſtria veri Ioſeph repoſitum fuit triticum, ſcilicèt Ieſus Chriſtus, nè tota Aegyptus fame periret*. Accedit S. Antoninus Epiſc. Florentinus in Summa p.4. tit.15 c.19.§.8. dum literis prodidit: *B. Virgo pauit, & paſcit Eccleſiam continuò, benedicto fructu vteri ſui, pane Angelorum in ipſa formato, in Sacramento Altaris nobis miniſtrato, vt Paſtor bonus*. Accedit Mauritius de Villa Probata, in Corona B. Virg. Serm. 28. dum immortalitati tradidit: *Fecit Mariam Deus ſuam Eleemoſynariam, per quam nobis pauperibus, & eſurientibus dedit panem illum cœleſtem, qui de Cœlo deſcendit*. Accedit deniq; e (vt plures alios in hoc argumento conſultò ſupprimã) Albert. Ma-

Frãco Ab.

S. Ant. de Padua.

S. Anton.

Mauritius

gnus in Biblia Mariæ, ſuper Librum Iob: dum poſt varias B. Virginis cum Iobo comparationes, ſubdidit: *Oſtendit Deipara ſe eſſe famelicarum animarum cibatricem: Iob 31. Si comedi buccellam meam ſolus; ideſt, mihi data à Deo non communicaui alijs; imò, quod plus eſt, buccellam, ideſt corpus Filij mei non communicaui alijs; & non comedit abundanter, & fiducialiter, & regaliter, iuxta illud Pſal. 77. Panem Angelorum manducauit homo: Pupillus ex ea, cuius Mater ego ſum per miſeratoneim, & cibatrix per largitatem.* Sic ille.

Alb. Mag.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ IN ORATIONEM IV.
De Dormitione Sanctiſſimæ Dei Genitricis.

1. C*VM adamata fuerit ab eo, qui non capitur; quas aſſiduò laudationes ſibi nō vindicet?*] Dei exemplum Virginem Deiparam adamantis, ad eiuſdem Deiparæ Virginis amorem, & laudem efficaciſſimè permouere nos debet, atque impellere. Hinc S.Bonauentura in Pſalterio B. Virginis: *Honorificate*, inquit, *illam* (Virginem) *Cœli,& terræ,quià ſummus Artifex hanc mirabiliter honorauit*. Philippus Abbas Bonæ Spei lib.4. in Cant. c.1.ad illa verba Angelorū de Virgine: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi: *Attendentes Angeli, quo affectu Sponſus erga Virginem teneatur; hærent, ſtupent, nequè dignè ſufficiunt admirari; nec inueniunt,quibus eam laudibus poſſint congruè venerari*. Goffridus Vindocinenſis, Serm. in omni Feſtiuitate B. Mariæ: *Diligamus eam* (Virginem) *ſicut cariſſimam* Do-

S.Bonau.

Goffrid.

Digitized by Google

Domini Matrem, quam ipſe diligit vt propriã carnem; cuius etiam laudabilem Virginitatem adeò approbare & honorare diſpoſuit, vt quoſdam magis de ſuo ortu, quam de eius Virginitatis integritate dubitare voluerit. Dionyſius Carthuſ. l. 4. de Laud. Virg. art. 14. agens de dilectione, ac veneratione, quas Beati Cœli Reginæ impendunt: *Quid mirum, ſi eam ita extollunt, & illi ſe libenter ſubijciunt, quã à Deo Creatore ſuo cernunt ſic prælectam, ac prædilectam; in qua & ex qua vident Deum hominem factum; cui & ipſum Vniuerſitatis Conditorem, Regem Cœlorum, Deum Deorum, vident fuiſſe obedientẽ, ac ſubditũ; imò adhuc, & in æternum impendentẽ & exhibentem honorẽ præcipuũ, vt propria Genitrici?* Deniq; Pelbartus in Stellario l. 12. art 3 p. 1. *Cum omnis actio Dei, & Domini Ieſu noſtra ſit inſtructio: ex quo ipſe Deus B. Virginem honorificauit, & eidem obſequiũ ſeruitutis præbuit, debemus & nos ipſam honorificare, & ſibi deſeruire.*

Carthuſ.

Pelbartus

2. *Quædam verò manent recondita.*] Confirmat hoc idem Petrus Cellenſis lib. 9. Epiſtolarum Epiſt. 10 ad Nicolaum Monachum S. Albani, vbi inquit: *Credo & confiteor plura eſſe apud nos ignota de Virgine ſacroſancta, quam nota; quia confortata eſt & gratia, & gloria, & non poſſumus ad eam.* Sic ille. Vide Io. Baptiſtam Nouatum de Eminentia Deiparæ Tomo 2. cap. 7. q. 19. vbi quærens, Vtrum plura Virginis priuilegia nobis ignota ſint, adſtruit,

Nicol. Monach. *

Digitized by Google

ſtruit, & probat affirmatiuam partem ſine dubio admittendam eſſe.

3. *De Aſcenſu eius ad Altiſſima nuntiat Angelus.*] Iſidoro mirificè concinunt, Sanctus Sabbas in Menæis Græcorum die 15. Auguſti: *Cum iam iam hora appeteret, qua Deus noſter Chriſtus ex animi ſententia decreuerat Matrē ſuam transferre ad ſuperos; tum verò per Angelum tribus ante diebus hanc ei migrationem de terra ſignificandam curauit*. Simon Metaphraſtes in Oratione de Vita, & Dormitione Deiparæ: *Cum ætate prouecta ad multam ſenectutem perueniſſet, & peregrinationis tempus eſſet præſens; per Angelum ſe migraturam eſſe à Filio edocta eſt, ſicut antea, quo tempore in eius ventrem ingreſſurus erat, nunciatum illi fuerat*. Epiphanius Monachus, & Presbyter Conſtantinopolitanus, in Vita SS. Dei Genitricis: *At Virgo Maria ſemper laudanda, quindecim ante diebus ſuum prædixit obitum; & Gabriel cœleſtis exercitus Princeps profectus, tribus ante diebus ei nunciauit è Mūdo diſceſſum, Dominiq; præſentiam.* Et Nicephorus Calliſtus lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 21. *Nuncium à Filio per Angelum de migratione, & aduentu ad ſe eius, ita vt antea, cum ipſe ad eam venturus erat, accepit*. Vt Georgium Cedrenum in Cōpendio Hiſtoriarum; Albert. Magnum ſuper Miſſus eſt, cap. 169. & 170. Bernardinum de Buſto in Mariali, p. 11. Serm. 1. de Aſſumptione; Clictoueum Serm. 5. de eodē Feſto; Iacobū Ber-

S. Sabbas

Metaph.

Epiphan.

Niceph.

gomenſem in Vita B. Mariæ. Pelbartum in Stellario lib. 10. p. 1. a. 1. alioſque plures haud infimi nominis Scriptores interim prætercam. Et quidem B. Virginem de obitu ſuo per Angelum à Filio fuiſſe præmonitam; non eſt cur in dubium reuocetur. Si enim Chriſtus Dominus alios quoſdam Electos; vt S. Petrum Apoſtolum, S. Ioannem Euangeliſtam, S. Martinum, S. Benedictum, &c. iſto honore dignatus eſt, vt eos hac de re præmoneret; quis ſibi perſuadeat, quòd Matris ſuæ fuerit oblitus:

4. *Nunc Palmæ Ramum tibi do iuſſus.*] De Palmæ Ramo diuinitùs B. Virgini allato in Migrationis ſuæ iam iam futuræ argumentum, & partæ victoriæ ſignum, Teſtis eſt S. Sabbas in Menæis Græcorum die 15. Auguſti: *Porrò conuocat Virgo cognatos, atque vicinos, & vnà denunciat, quid de ſua in cœlos profectione, ex Dei mandatis per Angelum ad ſeſe delatis comperiſſet: inque ſuæ conteſtationis fidem, brauium diuinitùs miſſum oſtendit, Palmæ ramum videlicèt.* Teſtis eſt Simon Metaphraſtes, in Oratione de Vita, & Dormitione Sanctæ Mariæ: *Significat itaque ijs, qui conuenerant, id, quod ei filius per Angelum nunciauerat: Oſtendit autem Brauium, quod ſibi ab eo datum fuerat: id verò erat Ramus Palmæ, vt linguæ aſſuefactæ vera loqui de eo dixerunt, Signum victoriæ mortis, & vitæ imago immortalis; ſicut etiam Hebræorum pueri id eius faciebant Filio, diuinitus inſpirati.* Teſtis eſt

S. Sabbas

Methaph.

Digitized by Google

Nicephorus Calliſtus lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 21. *Nuncium etiam illa*, nempe Virgo, *quem acceperat, ijs, qui cum ea erant exponit; & præterea Victoriæ mortis Trophæum (erat enim Palmæ ramus) monſtrat*. Teſtis eſt Ioannes Epiſcopus Theſſalonicenſis, Orat. in Dormit. SS. Deiparæ: *Cum igitur ſacratiſſima, & innocentiſſima Mater Domini, & Dei noſtri, terram naturali fine eſſet relictura; ante tres dies venit ad eam Gabriel Angelus dicens. Maria ſurge, & accipe hanc Palmam, quam dedit mihi ille, qui Paradiſum plantauit, & trade illam Apoſtolis, vt hanc tenentes, hymnos canant ante te*. Teſtis eſt B. Amedeus in Apocalypſi noua, Raptu 8. *Antequam Maria Regina noſtra à vobis migraret, ego Gabriel attuli ramum ſibi Palmæ de Paradiſo Dei virentibus folijs in ſignum eius victoriæ, quæ Palma ferri debebat ante Feretrum eius*. Teſtis eſt Sanctus Vincentius Ferrerius Serm. 1. de Aſſumptione Deiparæ. *Statim apparuit ſibi Angelus Gabriel, ſalutans eam, & portans ramum Palmæ. Ramus ille ſignificabat Victoriam, quam Virgo habuit de Mundo per humilitatem, de Diabolo per paupertatem, de Carne per puriſſimam Virginitatem*. Teſtis eſt Bartholomæus Piſanus, de Vita, & Laudib. Beatę Mariæ lib. 5. fructu 7. *Dominus in ſignum præfatorum* (videlicet conſolationis futuræ, & finis corruptionis carnis, & recreationis Virginis Matris) *Ramum Palmæ de Paradiſo eidē*

Nicephor.

Io. Theſſ.

B. Amed.

S. Vin. Fer.

Barth. Piſ.

dirigit, fragrantiæ ſingularis, & ſplendoris indicibilis, cuius aſpectu recrearetur ad viſum & eius odore quoad olfactum reficeretur. Teſtis eſt Pelbartus in Stellario l.11. p. 5. art. 3. c. 2. ex Coſma Veſtitore, in perſona Angeli: *Ego autem Ramum Palmæ de Paradiſo ad te Dominam attuli, quem ante feretrum portare iubebis*. Et paucis interiectis, in perſona propria: *Palma verò illa nimia claritate ſplendebat, & erat quidem virgæ viriditati conſimilis, ſed folia ipſius vt Stella matutina fulgebãt: & ego fateor me vidiſſe apud quendam Comitẽ Regiũ particulam quandam, quæ dicebatur eſſe de illa palma. & pro certo erat fulgentiſſima ad modũ micantis Stellæ, quaſi coloris argentei fulgentiſſimi, cuius intuitus deuotionem ingerebat contuentibus*. Teſtes denique ſunt Nicolaus Horius Rheinenſis, in Libro de glorioſa Virginis Mariæ Aſſumptione: Vincentius Beluacenſis in Spec. Hiſtor. lib. 8. c. 75. Petrus de Nacalibus in Catalogo Sanctorum, lib. 7. cap. 65. vbi & de pia contentione Apoſtolorum agit, quis Palmam antè Virginis feretrum deferret, Petruſnè, an Ioannes: Petrus Creſpetius in Triumpho B. Mariæ die 28. nu. 7. vbi miraculorum ad contactum huius Palmæ patratorum meminit: Io. Baptiſta Nouatus de Eminentia Deiparæ Tomo 2. cap. 8. q. 2. Aloyſius Nouarinus in Vmbra Virginea num. 1706. & Georgius Coluenerius in Calend. Mariano die 13. Auguſti, §. 1. num. 3. vbi ex Catalogo ſacrarum

Pelbartus

Reli-

Reliquiarum Cathedralis Eccleſiæ B. Mariæ Tornacenſis, refert in eadem Eccleſia aſſeruari de Palma, quam Sanctus Euangeliſta, & Apoſtolus Ioānes deferebat, præeundo in Exequijs S. Mariæ Deiparæ. Et licet, quod de Palmæ Ramo Dei Genitrici morienti in mortis proximæ victoriæ ſignum allato retuli, in Libro etiam apocrypho de Tranſitu Mariæ à Gelaſio proſcripto, Cap. Sancta Romana Eccleſia referatur, non propterea ſtatim reijciendum eſt tanquam falſum, cum in Apocryphis etiam vera quædam contineantur. Hinc Baronius Tomo 1. Annal. Anno Chriſti 48. poſtquam hoc, & alia retuliſſet ex Apocrypho eſſe accepta, mox ſubdidit: *Sed hæc cum dicimus, non ſic impugnamus, quaſi minus vera: quandoquidem non ſit impoſſibile apud Deum omne Verbum: ſicut nec ob eam cauſam, quòd ibidem feratur eadem reſurrexiſſe, & vna cum corpore eſſe aſſumpta in Cœlum, id negamus, vel in dubium reuocamus accidiſſe:* Sic ille. Baronius

5. *Plantæ illæ, & Arbores, quaſi Miniſtri participes mentis diuinæ, ſimul omnes famulabantur.*] De hoc etiam plantarum, arborumque Deiparæ Virgini ad Oliuarum Montem aſcendenti exhibito famulatu, præclarè omninò S. Sabbas in Menæis Græcorum, die 15. Aug. dum inquit: *Virgo itineris ad Filium ſuſcipiendi deſiderio mox flagrans, in Montē Oliuarum aſcendit, precibus accuratè*

fun-

fundendis intenta. Hoc enim ſolemne iam habuerat, vt in eo monte iugiter orationis ſtudium continuaret. Verùm id loci inopinatum quiddam eueniſſe tunc perbibent. Quippe arbores in monte iſto plantatæ, ſpontaneo motu inclinauerunt ſe Virgini colendæ, planè ceù viuo tantæ Dominæ ſeruiendi affectu pollerēt. Nec minus præclarè Ioannes Epiſcopus Theſſalonicenſis Orat.in Dormit.SS. Deiparæ, dum ſcripſit: *Tunc aſcendente illa, ideſt Virgine, in Monte oliuarum, exultauit totus Mons cū Plantis ſuis, ita vt ipſæ plantæ venerabundæ inclinarentur.* Sic ille: Quod confirmari poteſt ex eo, quod commemorat Epiſcopus Abulenſis in cap. 2. Matthæi, videlicet, præter illam arborem, quæ aduentantem in Aegyptū Chriſtum cum Maria, & Ioſeph venerata fuit, aliam etiam arborem Palmæ antiquiſſimam fuiſſe, quæ poſtquam ſe SS. Virgini in Aegyptū intranti inclinauit, vt dactylos inde colligeret, iterum ſe erexit: & corroborari ex eo, quod refert Turſellinus in Hiſtoria Lauretana lib.1. cap.6. nempè, è Dalmatia in Picenum venienti Deiparæ Domicilio, arbores obuias velut venerabundas ſe inclinaſſe, ac exinde pronas perſtitiſſe, quoad æuo, ventis, ferro procumberent. Proindè dum ſtaret nemus (quod hodie exciſum eſt) inclinatas ad Aedis aduentum, longo ordine arbores monſtrari ſolitas peregrinis, tanti miraculi teſtes.

Io.Theſſal.

6. *Quatiebatur enim Domus.*] Hoc idem con-

confirmat S. Sabbas in Menæis Græcorum die 15. Auguſti, dum ſcribit: *Oratione peracta, Domum regreditur Virgo, eamque totam repentè concuti ſenſit.* S.Sabbas

7. *Duas, quæ ipſi erant, veſtes, vtrique Viduæ dat.*] Conſpirant cum Iſidoro noſtro S. Sabbas in Menæis Græcorum die 15. Auguſti: *Porrò de duabus Tunicis ſuis negotium dedit, vt eæ duabus indigentibus viduis donò traderentur, quas quidem longa conſuetudine cognitas, alimentis quotidianis adiuuerat.* S.Sabbas Ioannes Epiſcopus Theſſalonicenſis Orat. in Dormit. SS. Dei Genitricis: *Fili Ioannes, vides, quia nihil habeo ſuper terram, præter ſolum meum funus, ac duas Tunicas. Sunt autem hic duæ Viduæ. Quando igitur à corpore egreſſa fuero, da vnicuique earum vnam.* Io. Theſſ. atque, omiſſis alijs, Nicephorus Calliſtus lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 21. *Tum Virgini Diſcipulo, & itidem alijs, ipſa Virgo præcepit, vt duas eius Tunicas vicinis viduis, quæ præter cæteras, propenſiore erga eam amore, atq; pietate fuiſſent, donent.* Niceph. Sunt tamèn, qui ſcribant, non duabus Viduis, ſed duabus Virginibus has Veſtes, ſeu Tunicas à Deipara decedēte fuiſſe relictas: ita Simon Metaphraſtes in Orat. de Vita & Dormitione S. Mariæ. *Deipara vitam finiens, duabus mulieribus Virginibus duas ſuas veſtes donauit loco benedictionis:* Metaph. Et ipſemet Nicephorus ſupracitatus lib. 15. Hiſt. Eccl. cap. 24. loquens de vna harum Veſtium, quæ

Leo.

Leone Imperante, Conſtantinopolim fuerat perlata: *Hanc Mater Dei ad Filium migrans mulieri Hebreæ Virgini reliquit*. Conſule, ſi libet, Chriſtophorum de Caſtro in Hiſt. Deiparæ cap. 20. n. 12. vbi priorem Nicephori locum ex poſteriori corrigendum putat, ac pro Viduis, Virgines ſubſtituendum.

Niceph.

8. *Fit per nubes admirabilis ille Conuentus*.] Mirabilem hunc Sanctorum Apoſtolorum ex varijs Mundi partibus per nubes, ad funus B. Virginis conuentum, fatentur etiam, inter alios, Simon Metaphraſtes, Orat. de Vita, & Dormit. Deiparæ. *Per nubes autem ſuos congregat Diſcipulos, vt venerandum* Deiparæ *corpus mandarent ſepulturæ*. S. Io. Damaſcenus Orat. de Dormitione Mariæ. *Te namq; hodie, ad tuum peregrinantem, accedentemque Filium, Apoſtoli è diuerſis terræ finibus, Filij tui imperio, per nubem in Sanctam Ciuitatem diuinitus tracti, comitantur*. Ioannes Epiſcopus Theſſal. Orat. in Dormitione SS. Deiparæ: *Et poſt tonitrum demiſſi ſunt vndecim Apoſtoli, ſedens vnuſquiſque in Nube: Primus Petrus, ſecundus Paulus delatus à Nube; & poſt hos alij etiam Apoſtoli in Nubibus ad Ianuam Mariæ delati ſunt*. Denique Sanctus Sabbas Abbas in Menæis Græcorum, die 15. Auguſti: *His ita compoſitis, vehemens repente Tonitru aures percuſſit: ſimul ex omni parte terrarum ingens vis nubium præſto fuit, quæ Diſcipulos Chriſti ad Deiparæ* Do-

Metaph.

Damaſc.

Io. Theſs.

S. Sabbas

Digitized by Google

Domum, quaſi conſpiratione quadam aduexerant. Nec refert, quæ hic de Apoſtolis Hieroſolymam ad obitum B. Virginis per nubes delatis referuntur, in S. Melitonis apocrypho Libro, quem meritò Baronius reijcit, contineri: Non enim omnia, quæ ibi leguntur, apocrypha ſunt, vt Baronius ipſe Tomo 1. ad Annum Chriſti 48. diſertè fatetur. Vide Caſtrium in Hiſtoria Deiparæ cap. 20. num. 7. Et Coluenerium in Calendar. Mariano die 15. Auguſti, num. 18.

9. *Cæleſtium ille doctus enarrator Dionyſius Areopagita.*] S. Dionyſium Areopagitam Sancti Pauli Apoſtoli diſcipulum, Athenarum primò, Pariſiorum indè in Gallia Epiſcopum, Theologorum ſecundùm Apoſtolos, & Euangeliſtas apicem, interfuiſſe vnà cum cæteris Apoſtolis Deiparæ Virginis morti, & funeri, teſtatur ipſemet Dionyſius, cap. 3. de Diuinis Nominibus, ad Timotheum Epheſiorum Epiſcopum; illis verbis: *Nam & apud ipſos diuino ſpiritu plenos Pontifices noſtros, cum & eos (vt noſti) & pleriq; ex Sanctis fratribus noſtris ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ, Deumque ceperat conueniſſemus (aderat autem & frater Domini Iacobus, & Petrus ſupremum decus, & antiquiſſimum Theologorum columen) vbi poſt contuitum, placuit, vt infinitè potentem diuinæ Virtutis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quiſque pro captu ſuo.* Quæ verba S. Dionyſ.

de

Digitized by Google

de ſancto corpore B. Virginis, non de ſepulchro Chriſti, Ioannisuè Domo, vbi Chriſtus cœnauerat, intelligenda eſſe, ratio ipſa, oratioque conuincit; & eſt communis, concorſq; ſententia SS.Patrum, qui hoc D. Dionyſij grauiſſimum teſtimonium perpendentes, Dei prouidentiam admirantur, Apoſtolos, eorumque primarios diſcipulos vndique congregatos, ad ſuæ Matris obitum illuſtrandum, funus faciendum, & exequias honeſtandas. Ita Iuuenalis Hieroſolymorum Epiſcopus in Hiſtoria Euthymica lib.3.cap.40. relatus à Damaſceno Orat.2 de Aſſumptione Dei Genitricis. Andreas Cretenſis Orat.2. de Dormit. Deiparæ. Michael Syngelus Presbyter Hieroſolymitanus in Encomio, ſeu Vita S.Dionyſij: Epiphanius Presbyter Conſtantinopolitanus: Damaſcenus, Orat.1.& 2.de Dormit. Deiparæ: Metaphraſtes in Orat.de Vita, & Dormitione eiuſdem; & in Vita S.Dionyſij: Michael Glycas, 3. par. Annalium poſt medium: Nicephorus lib.2.Hiſtor. Eccleſ.cap. 22. Maximus in Scholijs ad Dionyſium: Caſtrius in Hiſtoria Deiparæ; & Cardinalis Baronius Tom.1.Annal.Anno Chriſti 48. Teſtatur etiam Michael Syngelus ſupra relatus S.Dionyſium, non ſolum morti, ac funeri Beatiſſimæ Virginis interfuiſſe; ſed ipſum quoque, ſicut Apoſtolos eo tempore Hieroſolymam diuino miraculo fuiſſe aſportatum:

Mich. Sin. *Multa quidem*, inquit, *& alia fidem facient, & in primis nubes illa, quæ ab Occidentis*

par-

partibus abreptum ſublimem ipſum abſtulit per aerem, & elatum adduxit, vti iam ſummos Dei inſpectores, & Theologos Apoſtolos, alium aliunde repentè è finibus terræ in celeberrimam, communem omnium Chriſtianorũ Matrem Hieruſalem aſportauit, & in excelſa diuinorum myſteriorum arce Sion, *cæteris Chriſti diſcipulis copulauit, cum* Dei *Matris innocentiſſimæ corpori iuſta perſoluerent.* Sic ille. Porrò Petrus Halloyx Leodienſis, in Vita S. Dionyſij Areopagitæ cap. 6. de eodem Sancto Dionyſio B. Virginis migrationi vnà cum Apoſtolis præſente loquutus, inter cætera, dixit: *Noſter hic* Dionyſius *meruit Angelorum hominumque Reginæ thalamo appropinquare, & ipſam Reginam viuentem, & videntem cominus intueri, & in diuino vultu effulgentes cæleſtium gratiarum theſauros contemplari: & verba ex ore illo puriſſimo, melle ſimul, & fauo dulciora, plus nimio felicibus, ac fortunatis auribus excipere, & intimis animi medullis condere:* O *voluptas!* O *deliciæ! Quàm citò tibi, ò ter beate* Dionyſi, *quam citò, & quã properanter in talium hauſtu deliciarum tot exanthlati antehac abs te labores, & tot perpeſſæ graues ærumnæ, forti animo toleratæ, fumi inſtar euanuerunt, ac nihil eſſe, nec fuiſſe conuictæ ſunt. Sic olim Iacob Patriarchæ ſeptem anni in vita agreſti, & paſtoritia durè exacti, cum ſuper pecore vigilans, & æſtu vreretur & gelu, tamen ſpecioſæ Rachelis ſuæ reſpe-*

Petr. Hall.

reſpectu, videbantur (vt ait Scriptura Gen. 19.) pauci dies præ amoris magnitudine. Verùm Dionyſio *totidem ferè anni in laborioſiſſimo Epiſcopatus onere tranſacti, conſpecta Virginis Matris plena modeſtiæ maieſtate, non modo pauci dies videbantur præ amoris, & admirationis magnitudine, ſed nulli. Cùm verò & adhortantem ipſam ad ſuſceptos in Filij ſui Vinea labores conſtanter in finem perferendos audiret, & propoſita Vincentibus multiformium* Coronarum *præmia ſingulari cæleſtis oris gratia præmonſtrantem attendit: tùm verò & incredibili amore exarſit, & vix, ac ne vix quidem apud ſe fuit.* Denique *extrema Valedicentis, & omnibus benè precantis verba, ſubmiſſo quantum potuit & corpore, & animo, mixtiſque gaudij, & mæroris affectibus excepit, & diu mæſtus ſtetit. Si verò in alijs rebus tantus fuit* Dionyſius, *quantum ſcripta ipſa demonſtrant; in huius Virginis, & Matris (amabiliſſimæ dicam, an admirabiliſſimæ?) celebrandis tali in conſeſſu præconijs, quantus extitiſſe credendus eſt? Certè (quod ipſe de Magiſtro* Hierotheo *dixit) totus extra ſe raptus, totus in ea, quæ ſublimiſſima ſublimiſſimè attingebat, transformatus.* Hinc canitur in Menæo Græcorum: *Venerandæ tuæ obdormitioni, ò Virgo Sanctiſſima, aderat Dionyſius, vnà cum* Hierotheo, *ac Diuino Timotheo, quorum vnuſquiſque ſimul cum Apoſtolis, Hymnum gloriæ tuæ conuenientem*

Menæa Græca.

decan-

Digitized by Google

decantabat, quibuſcũ nunc omnis te mortaliũ lingua Dei Genitricem, & Mundi patronam concelebrat. Sic ibi. vide, ſi placet, Antiſtites noſtros Marianos c.4. vbi plura de Dionyſij huius erga Deiparam affectu congeſta reperies.

10. *Et ſublimis Hierotheus.*] Quod in hac Oratione de S. Hierotheo (qui, vt multi aſſerunt, Natione fuit Hiſpanus, & Athenarum priùs, poſtmodùm Segouiæ in Arauacis Epiſcopus, vir ſanctitate mirandus, & ſapientia, in paucis clarus) aſſerit Iſidorus, certo teſtimonio exhibitum habemus à S. Dionyſio Areopagita eiuſdem Hierothei Diſcipulo in c.3. Lib. de Diuinis Nominibus ſcribente: *Conuenimus quandoque apud Pontifices noſtros* Dei *plenos nos ſimul, & ipſe* (ideſt Hierotheus, de quo agebat) *multique Sancti Fratres noſtri, viſuri corpus illud, quod vitæ principem, Deũque ſuſcepit; vbi aderant & Iacobus frater Domini, & Petrus, excelſum & ampliſſimum Theologorum culmen. Illic ergo, poſt contuitum, placuit, vt Pontifices omnes pro viribus quiſque ſuis, infinitè potentem bonitatem lauaarent. Hierotheus autem alios omnes ibi Doctores ſacros, vt noſti, poſt ipſos Theologos, hoc eſt Apoſtolos, ſuperauit, totus excedens, totus extra ſe poſitus, & eorum, quæ laudabat, communionem patiens. Quamobrem ab omnibus qui audiebant eum, ſiue cognoſcerent, occupatus* Deo *diuinuſque Laudator eſt habitus.* Hactenus Dionyſius. Fauet Me-

Q naæum

næum Græcorum : vbi ſub 4. die Octobris de eodem S. Hierotheo legitur: *Hierotheus ad Sanctiſſimam Deiparæ ſepulturam in Sanctorum Apoſtolorum cætu præcentor fuit, totus excedens, totus ſe deſerens, & ab omnibus, à quibus audiebatur, & videbatur, Deo correptus, & diuinus dilaudator habitus.* Item. *Oratoria tua diuino loquentia; fidelium Choros, ò Beate Hierothee, colluſtraſti, & ſacrum Apoſtolorum* Collegium*, ò pie, lætificaſti, diuiniore vſus extaſi, & pſallens pro virili tua, gloriam, ò vir humaniſſime. Totus* Deo *conſecratus es, ò Beate, &* Deo *compte, ſacrorum* Doctor; *& tuis Theologicis ſermonibus ad eum omnimodis extra te raptus, & diuinus hymnorum Scriptor, & ſapiens* Orator *ijs, qui aderant, prudenter iudicatus*. Item. *Apoſtolorum cætu contubernalis, ò beate, atque eximie Hierothee, vnà cum ipſis SS. Virginis* Deipa*ræ, quæ vitæ Datorem nobis corporaliter genuit, diuinæ Dormitioni adſtitiſti*. Iterum. *Cum Verbi* Mater *ad cœleſtes illas ſedes tranſmigraret, tu ſimul cum reliquis aderas Apoſtolis, ò Hierothee, eam abeuntem hymnis proſequens*. Hæc ibi. Nec omittam, quod Petrus Halloix de eodem S. Hierotheo, in ipſius Vita literarum monumentis conſignauit: C*um diuino ſpiritu afflatus, ad Montem Sion, atque ad religioſiſſimas illas Aedes, vbi Virgo Sanctiſſima reſolutionem Tabernaculi ſui expectabat, feſtinatò conueniſſet; ibi eam in Thalamo*

Menęum Gręc.

Pet. Hallo.

ſuo

ſuò diuini amoris faces iaculantem conſpexit: ibi ſacra eius eloquia dulciora ſuper mel, & fauum cupidis auribus imbibit; ibi diuina reſponſa ſuper Eccleſiæ ſtatu; ibi extrema mandata de rebus ad Dei honorem ſeduló præſtandis, auidiſſimè vnà cum Beatiſſimis Apoſtolis excepit. Denique optatiſſima eius benedictione impertitus, à ſe excedentem vniuerſi Orbis gloriam gemitu, & lacrymis proſequutus eſt. Inde cum omnis ille Iuſtorum Chorus, qui ibi aderat, partim in ipſius Virginis, quæ tam purum, atque intaminatum præbuerat Deo habitaculum; partim in Dei, qui exerto potentiæ ſuæ brachio, tam magna illi fecerat, laudes effundi cæpiſſet, vnus Hierotheus ſecundum Apoſtolos, ſed proximè Apoſtolis, inſignē decantatorum à ſe hymnorum gloriam retulit: ita enim excellebat, ita rapiebatur à ſenſibus, ita mente excedebat; ita diuinis eloquijs, agitante intus ſpiritu, ebulliebat; vt cunctis audientibus, ſeu notis, ſeu ignotis, prorſus ſacro numine correptus, ac plane diuinus Laudator iudicaretur. Vide Ioannem Bonifacium in Hiſtoria Virginali, lib. 2. c. 13. atque Antiſtites noſtros Marianos cap. 8. in S. Hierotheo Epiſcopo Athenienſi.

11. *Et admirandus Timotheus.*] Sanctus Timotheus (qui ex Iſidori noſtri hic, Sancti Dionyſij Areopagitæ cap. 3. de Diuinis Nominibus, aliorumque inſignium Scriptorum teſtimonio, morti, ac funeri B. Virginis, vnà cum

Apoſtolis, Viriſque Apoſtolicis interfuit) fuit S. Pauli Apoſtoli Diſcipulus; ad quem ipſe Paulus duas notiſſimas dedit Epiſtolas, & propter egregias animi dotes adhuc Iuuenis, ab eodem Paulo conſtitutus eſt Epiſcopus Epheſiorum; & deinde Archiepiſcopus, ac totius Aſiæ minoris, loco ſui, & Ioannis Euangeliſtæ, Primas. Eius vitam à Simeone Metaphraſte deſcriptam habes apud Surium, Tomo 1. de Vitis Sanctorum die 22. Ianuar.

12. *Sionis Eccleſiæ tunc Præſul Iacobus eximius.*] Quid hic Iacobus in morte, ac funere B. Virginis præſtiterit; habes in Apoſtolis Marianis cap. 8. Huicque adſcribe, quod in eiſdem Apoſtolis Marianis cap. 5. pag. 147. Sancto Iacobo Maiori Apoſtolo per errorem attribui; videlicet: *Cum Hieroſolymis maneret Iacobus, in eadem cum Virgine habitabat Domo, quæ prima fuit, materque Eccleſiarũ, cuius ipſe erat Epiſcopus, qui Virginis curam habebat, eamq; cuſtodiebat, vt exiſtimat Caſtro in Hiſtoria* Deiparæ *fol* 575.

13. *E Cœlis verò accurrerunt Exercitus Angelorum.*] Virgini ex hac vita migranti affuiſſe in obſequium, & famulatum omnes Spiritus beatos, diſertè inter alios tradunt, Sanctus Bernardus, Serm. 1 de Aſſumpt. S. Ildephonſus, Serm 1. de eadem Aſſumpt. Andreas Cretenſis, Or 2. de Dormitione Deiparæ: Damaſcenus. Orat. de eadem Dormitione apud Metaphraſten, & Surium: Amedeus Lauſannē-

ſis,

Digitized by Google

ſis, Hom.7. de Laud. Virg. & Laurentius Iuſtinianus, Serm.1. de Aſſumptione: quorum verba congerit Nouatus Tomo 2. de Emin. Deip. cap. 8 q. 8. Addo ego S. Sabbam in Menæis Græcorum, die 15. Auguſti, ſantem: *Tunc certe (*ideſt in obitu Virginis*) tunc & Angeli ſuas de Cælo voces dedere, Ordinumque cæleſtium modulis aer id loci totus perſonuit.* S.Sabbas

14 *Et ſuauis quædam Aura leniter ſpirans.*] Virginem etiam, vt amabilem Auram ſuo afflatu aſperitates noſtras emollientem agnouit Eccleſia Græca in Menæis, die 14 Aprilis in Veſperis de S. Ariſtarcho, & ſocijs, dum cecinit: *O latè patens Numinis ſedes, & omni Cælorum amplitudine maior; cor meum à motibus prauis attenuatum ac per tentationum inſultus, inter arctiſſimas quaſi fauces concluſum, dilatando amplifica. Simul calamitates varias exoriri quotidie ſolitas, afflatu benignitatis tuæ, tanquam Fauonius quidam emolli.* Sic ibi. Fauet Ricchardus à S. Laurentio, lib. 7. de Laudibus Virginis, pag. 473. ſcribens: *Ipſa*, ideſt Maria, *eſt Aura illa, de qua dicit Eliphaz, Iob 4. Vocem quaſi auræ lenis audiui: Maria ſiquidem dicitur Aura propter refrigerium gratiæ, quam infundit diligentibus ſe: lenis propter multitudinem benignitatis ſuæ.* Eccl. Græ. Ricch. à S. Laur.

15. *Iudæos iterum inſanire facit.*] Quæ hic de Iudæis, & de miraculo facto in Iudæum, qui Feretrum, quo B. Virginis corpus ad ſepul-

Digitized by Google

turam ferebatur, eſt conatus euertere; refert Iſidorus noſter: Refert quoque S. Sabbas in Meneis Græcorum, die 15. Auguſti, his verbis: *Quibus omninò ſignis irritati Iudæorũ Principes, concitarunt quoſdam de plebe, vt lecticam, in qua corpus, origo ipſius quondam vitæ, iacebat, euertere, humique affligere conarentur. At verò Numinis vindicta, ſacrilegas audacium manus præuertit, omneſque tanto facinori perpetrando intentos, oculorum cæcitas mulctauit. Vnum autem iſtorum, ſumma furentem inſania, & iam ipſas ſacroſancto Lectulo manus iniÿcientem, dextera non minus, quam ſiniſtra priuauit, quas tantæ inſolentiæ conſcias per vltionis diuinæ gladiũ, ſuo ſibi malo, reus ipſe momento abſciſſas, deque feretro ſuſpenſas reliquit, miſerabile cunctis ſpectaculum factus, quoad toto corde religionem Chriſtianam amplexus, impetrato tanti mali remedio, integritati priſtinæ redditus fuit. Sic & reliquis cæcitate percuſſis, vbi poſt fidem Chriſti ſuſceptam, pars palliÿ, quo tegebatur lectica, admota fuiſſet, repentino Virginis dono, antiqua incolumitas rediÿt* Sic ille. Refert etiam S. Io. Damaſcenus, Orat. 2 de Dormit. Deiparæ: Simeon Metaphraſtes Orat. de Vita, & Obitu B. Virg. & Nicephorus Calliſtus lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 22. quorum verba profert Caſtro in Hiſtoria Deiparæ cap. 21. n. 6 Nec dicas eadem in Apocrypho ac proſcripto S. Melitonis Libro contine-

S.Sabbas

ri :

ri: Reſpondeo enim, non omnia, quæ ibi continentur, apocrypha eſſe, ac falſa, vt ſupra n.4. cum Baronio adnotaui.

16. *Tardat quidam Apoſtolorum.*] Apoſtolum, qui tardauit, & die tertia aduenit, non ſolum Nicephorus lib. 2. Hiſt. Eccl. cap.23. ſed Breuiarium Romanum, die 18. Auguſti, Lect. 5. ex Ser. S Io. Damaſceni, agnoſcit fuiſſe S. Thomam; ita enim loquitur. *Eius corpus, quod Deum ineffabili ratione ſuſcepit, cum Angelica, & Apoſtolica hymnodia elatum in loculo, fuit depoſitum in Getſemane, quo in loco Angelorum cantus manſit tres dies continuos. Poſt tres autem dies Angelico cantu ceſſante; qui aderant Apoſtoli (cum vnus Thomas, qui abfuerat, poſt tertium diem veniſſet, & quod Deum ſuſceperat, corpus adorare voluiſſet) tumulum aperuerunt; ſed omni ex parte ſacrum eius corpus nequaquam inuenire potuerunt.* Breu.Rő.

17. *Viſa eſt Apoſtolis poſt ſacram ſepulturam.*] B. Amadeus Luſitanus, in ſuis Reuelationibus, Raptu 8. ex Gabriele Archangelo ſe didiciſſe commemorat, Deiparæ animam nõ diù poſt exitum à corpore, ad ſepulchrum reuerſam, Apoſtolis ibidem commorantibus Sole fulgentiorem in maxima maieſtate apparuiſſe, eoſdemque longo ſpatio alloquutam. Dominum deinde Ieſum cum omni militia cæleſtis exercitus de ſuperna ſede aduenisſe, Apoſtolos ſaluere iuſſiſſe, animamque Matris feliciſſi-

eiuſdem S. Petri, ſolo eorundem corporis attactu in lapidibus formatæ conſpiciuntur.

